Mary Rane,

Mary Bean ejm.

ANTONII ROIGII MAGONENSIS DE SACRIS APUD MINOREM BALEAREM ANTISTITIBUS SEVERO POTISSIMUM DEQUE ISTIUS EPISTOLA EXERCITATIO ET IN EAMDEM EPISTOLAM ANIMADVERSIONES.

PRAESIDIBUS ANNUENTIBUS

Palmae Balearium
Anno MDCCLXXXVII

Excudebat Antonius Miralles Pro-Typograph. Reg.

Quod possumus laboramus.
S. Hieron. praefat. ad Pentatheuc.

PETRO. RUBIO. BENEDICTO

BALEARIUM. ANTISTITI. OPTIMO

HISPANAE. GENTIS. ORNAMENTO

SACRAE. ELOQUENTIAE. COLUMINI

LITTERARUM. PRAESIDIO

DECORI. SUO. DULCISSIMO

OB. IMMORTALIA. IN. ECCLESIAM. MERITA

ANTON. ROIGIUS

H. O. D.

ANTONIUS ROIGIUS
LECTORI SUO.

PAucis te huius in opellae aditu volo, non quod ab hominibus illis, qui foenum habent in cornu, Sectanea comparatione, nimium soepè verisima, eidemque adiecto epiphonemate lacessiri verear, (a) *sed quia non eiusmodi est, ut multis te*

(a) *Serm. III. de circumforanea Graeculorum huius aetatis Litteratura.*

„ Sunt hodie libri ut muliebria corpora, quae dum
„ Conclavi neglecta suo, atque inculta morantur,
„ Macra videbuntur, brevibusque simillima sardis.
„ Fac tectis prodire eadem spectanda per urbem.
„ Non eadem forma est; nam cum peronibus altis
„ Incubuere pedes, cum tot redimicula frontem
„ Aedificant circum, & vestis sinuosa turnescit;
„ Protinus augetur species, maiorque videri
„ Atque alia: ingentes una implet foemina postes,
„ Angustatque viam, magnos imitata Elefantos,
„ Aut Orcam per aquas vasta se mole ferentem.
„ Non quidquid libro aggeritur liber est.

te morari debeat. In partes tribuitur duas. Exercitationem prior dabit, in qua paucis de Veteribus Minoris Balearis Episcopis, sat multis de Severo, pluribus de istius Epistola, ab immortali Baronio publici iuris facta, (a) *disseremus, quam, cum animadversionibus in eamdem, pro nata re, subiectis totam in posteriore describemus, quoniam rarissima apud Nostrates eiusdem exempla esse probè nôrimus.* (b)

Vellem profectò Deus immortalis fecisset, ut in qua vivimus Insula,

---

(a) Quam idcircò aliquando *Baronianam*, *hodiernam* quandoque, *Severianam* soepissimé simpliciter vocamus.

(b) Quod in nonnullas S. Augustini Operum Editiones, & in Baronianos Annales tantum relata sit; quamquam & á Joanne Dameto hispana facta, notisque qualibus qualibus illustrata est.

sula, ea litterarum praesidia non desideraret, quorum maximam nobis penuriam esse necesse est. Christiana inter Balearium monumenta, & vetuſtate praeſtantissimae, & mille aliis nominibus pretiosissimae lucubratiunculae, è symbola in eamdem quâ muniendam, quâ ornandam, pro mea virili, conferenda, splendidior, ni spe deludar inani, adeò lux affulsisset, ut cum Severianis, cum Patriae, cum Ecclesiae, quae mihi non possunt non esse dulcissimae, rebus ampliorem gloriae segetem per me partam, ipse mihi fortassis gratularer, quo ut nihil magis in votis erat, iucundius sanè nihil accidisset. Nam praeterquam quòd & multa, quibus in animadversionibus locum dare adigor, indicare satis fuisset,

set, & gravissimo testimoniorum ex omnis ferè generis scriptis syllabatim proferendorum oneri me substraxissem, quod tam durum est quam saxum volvere; de caris illis capitibus, quorum praesertim in gratiam provinciam hanc mihi decreveram, optimè merendi occasionem arripuissem quam libenter. Sed quae supererat viam ingressus sum. Fortassis domesticorum aliquis haud deerit, qui à politioribus artibus, ab accuratiore critice, ab uberiore sacrosanctae, profanaeque antiquitatis notitia longè me instructior, faustiore illam eventu terat. Horatium interea monentem audiam: (a)

„ Non possis oculo quantum contendere Lynceus,

„ Non

(a) *Epist. Lib. I. Ep. I.*

„ Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
„ Nec quia desperes invicti membra Lyconis,
„ Nodosa corpus nolis prohibere podagra.
„ Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.

Ut ut legi volentibus cogitationes suas vernaculis litteris mandare mos iubeat; non is profectò doctarum frontium mos perpetuus, multasque Italia, Germania, Hispania, America, (a) gentes aliae, promptas paratasque habent, quô illis doleant oculi, qui (eloquentissimi Lagomarsinii (b) verba mea facio) " latinam lìnguam tamquam aetate iam grandi effoetam anum, turpem, rugosam, edentulam, deliram, aversantur,

¶ „ *res-*

(a) Confer Politissimi Franc. Xaverii Lampillae cedro linendi operis cui titulus: *Saggio Storico Apologetico della Letteratura Spagnuola. Part. II. Tom. I. Dissert. II.* §. 7. p. 214 *notam.*

(b) *Orat. ad Florentinos pro Latina lingua.*

„ *respuunt*, *derident*, *exsibilantur*, „ *insectantur.*" *Ego quoniam Severum latinè loquentem inducturus sum*, & *ut minus barbarus videar*, *latinè scribam. Et quamquam*, *dum sanitas constabit*, *lepidum Thomae Serrani Vatis haud inficeti Epigramma pulchrè meminero*: (a) *impensè à me datam operam non inficior ut eo uterer sermone*, *cuius dos una fortasis ab instituto meo haud abhorrere. Quei plura? Nihil enim iam restat*, *nisi ut quoniam*

„ *Induxi te ad legendum*, *sincerum mihi*
„ *Candore noto reddas iudicium petam.*

EXER-


(a) Inscriptum: *de nova Litteratorum Secta*, *quae unius puritatis solicita*, *praecipuas orationis virtutes non curat*, cuius initium est: *Rogas me ut tibi dicam.*

EXERCITATIONIS
Summa.

Baleari Minori sui quondam Episcopi fuere §. I. Non iam ab Apostolicorum Virorum aetate §. II. & §. III; tametsi secus nonnullis videatur, quorum argumenta solvuntur §. IV. & §. V. Nihil coniectura assequimur, ut quo primum tempore Balearibus porprii Antistites impositi fuerint, affirmemus §. VI. E quibus Severo nullum vetustiorem novimus. §. VII. Et Macarius Nostras Antistes fuit. §. VIII. Veteres reliquos Minoricenses Praesules ignoramus, quod cui cui mirum esse non debere, cum luculentissimis exemplis, cum eiusce rei causa allata conficitur. §. IX. §. X. §. XI. ¿ Num in XI. Toletana Synodo Baleares Episcopi Tarraconensi Pontifici parere iussi sint? §. XII. Gerundensis Ecclesiae in Baleares Sec. IX. exeunte iura §. XIII. Nonnulla de quodam Deniae Ducis Hali Privilegio. §. XIV. Et rerum feré omnium sequiore aetate apud Nos gestarum memoria deficit. §. XV. A multis de Severo interrogationibus abstinemus. §. XVI. Qui inquam Minoris Balearis Episcopus fuit. §. XVII. Non publicis religionibus consecratus. §. XVIII. ¿ An Augustinianus Eremita? incertum. §. XIX. & §. XX. Pius tamen. §. XXI. Et non indoctus. §. XXII. Unam Epistolam dedit. §. XXIII. in Uzalensi Ecclesia recitatam. §. XXIV. Illius argumentum. Ibid, & occasio. §. XXV. Eam interpollatam Dumesnilius putat. §. XXVI., cuius opinio, quibusdam praemissis. §. XXVII. & §. XXVIII. confutatur ipsius Baro-

nii

expo-



PARS PRIOR
DE SACRIS
APUD MINOREM BALEAREM
ANTISTITIBUS,
SEVERO POTISSIMUM,
deque istius Epistola

EXERCITATIO.

§. I. BAleari Minori iam diu retrò actis temporibus proprios Episcopos praefuisse, cum iuniorum populus in exploratis habet; (a) tum id genus monumenta planè monstrant, quae & ab antiquitate veneranda, & plus vice simplici á nobis producenda sunt.

§. II. ¿ At quoto Aerae Christianae Seculo Sacra Nostratium Res suos per Antistites regi coep-

(a) Multos Rerum Balearium Scriptores Dametus *Historia del Reino Balearico* Lib. I. Tit. III., & Bonaventura Serra *Glorias de Mallorca* §. 12. appellant, alios laudabimus.

coepta est? Hanc sibi qui velint veniam sumant, ut quó Ecclesiarum exordia suarum augustiora faciant, vel ab aurea religionis nostrae aetate, Pontifices iisdem gubernandis impositos affirment. Ego sané Epicharmianum illud decretum: *nervos, atque artus esse sapientiae non temeré credere,* (a) tota in hac quali quali opella animo obversari meo necesse esse intelligens, & sagacissimorum potius virorum negligentiam imitari optans, quam obscuram illorum diligentiam, qui de Ecclesiasticis gentis suae antiquitatibus orationem instituentes, falsis aliquando narrationibus, carbones pro thesauris vendunt, vel dubiis saltem quid lupinis aera distent ignorare videntur; tantum abero, ut primos Balearis nostrae Episcopos ab Apostolica memoria non multum abfuisse aiam, ut ne cogitem quidem.

§. III. Tametsi enim tacitus praeterirem quod simili plané in causa, doctissimus Matthaeus Aymerichius (b) disputabat, sedes Episcopales á Viris Apostolicis in Urbibus tantum Flaminum Augustalium Collegio, seu Seviratu insignibus erigi solitas: in sacris Balearium mo-

---

(a) Apud Tullium *de Petit. Consul.* n. X.

(b) *In Praef. Lib. II. Nominum, & Actorum Episcoporum Barchinonensium.*

monumentis hóspitem omnino illum esse oportet, cui penitus non perspectum sit, & apud Maiorem, & apud Minorem erectarum primordia densissimis adeó tenebris obvoluta esse, ut de iisdem vel qui acutum tam cernat, quam aquila, Actiaca graviorem pugnam iniri iure posse nullus addubitet. Desunt testes legitimi, muta antiquitas.

§. IV. Alia profectó in sententia Vir eruditus, mihique, ut ipse videri vult, amicissimus fuit. At, quod eius pace dixero, vereor ne vel ut solido uno tibicine illam fulciret, tota licet, qua valet, ingenii, doctrinaeque contentione eniteretur, incassum eniteretur.

§. V. Frustra é prima Clementis *ad Jacobum fratrem Domini*, & tertia Anacleti Epistolis, ut *Apostolica* (iuvat eiusdem verbis uti) *providentia*, proprium Insulis nostris Episcopum designatum confirmet, Caietanus *á Maiorica* (a) praesidia comparabat. Utramque enim Epístolam supposititiam esse, & bene herclé subductis rationibus, Critici demonstrarunt. (b) Facilius é pumice aquam, quam é

(a) *Loseta ilustrada Cap. IV. Reflexion 2. n.* 13.

(b) Vid. Nat. Alex. *Hist. Eccl. Sec. I. Cap.* 12. & *Dissert. XXI.* Vid. & á Nat. ipso *Shcolio II. eidem Dissert.* subiecto laudati.

vulgatissima Innocentii I. ad Decentium rescribentis sententia (a) „ Cum manifestum sit „ in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam, „ Africam, Insulasque interiacentes nullum „ instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut eius Successores „ constituerunt Sacerdotes," pro Caietano quid eliceres.= At Hispano mari circumiacentes insulas Beatum Paulum Evangelicis institutis imbuisse, fructumque in illis laboris amplissimum sui collegisse, memoriae á Theodoreto proditum, (b) Baleares Scriptores (c) aiunt. Secus nec ne se res habuerit in praesentia haud disputabo; non quod Tillemontio, (d) Calmetio, (e) Sandinio, (f) de Apostoli in Hispaniam migratione nihil certi constituentibus subscribam, quam tum ob validissimas coniecturas, cum ob miram PP. consensionem ex-

tra

(a) Extat Innocentii, qua de sermo, Epistola in *Gratianeo Decreto dist. XI. cap. postremo.*

(b) *In Psalm. CXVI. & in II. ad Timot. cap. II.*

(c) Mut *Hist. del Reyno de Mallorca Lib. XI. cap. I.* Serra §. *XI.*

(d) *Note 73. sur S. Paul. Tom. I.*

(e) *In cap. XV. Epist. ad Rom. vers. 24.*

(f) *Hist. Apost.* ubi *de* S. *Paulo* §. *XXV.*

tra omnem dubitationis aleam esse (a) probé teneo, neque quod Selvagio policem premam, cui Cyri Praesulis loca à Muto, & Serra recitata de Britannia intelligenda esse clarius videtur (b) quam ut demonstrari possit, nam ego contra cur potius de Balearibus non intelligi debeant, haud herclê capio; sed tantum quod eiusmodi velitationi instituendae locus heic non sit. Fuerit tamen ut Nostratibus lubet. ¿ Caietanum probabilia sequutum qui heinc conficiat, quid non sese confecturum sperare posset?

§. VI. ¿ Quidni igitur subiiciet quispiam tam perobscura, implexaque in re coniecturam ducamus? Huiusmodi causa nostra est, ut coniecturis, é quibus Minoricensis Cathedrae initia é Christi Seculo potius e. g. secundo, tertiove, quam é quarto deducere possimus ansam praecissam videam. Paucis. Qua tempestate Nostratia Sacra sui moderari Antistites occoeperint, qui me doceat, non vatem tantum optimum perhibebo, sed etiam

... *erit*

(a) Cons. Nat. Alex. *Dissert. XV. in Sec. Chr. I. & in eamdem* Mansii *Nota*, Berti *Isagog. ad Sacram Geograph. cap. III.* Selvagius *Antiq. Christ. Instit. P. I. Lib. I. cap. IV. §. VI.* & alii á Serra laudati.

(b) *Lib. I. cap. IV. §. II. P. eadem.*

...erit mihi magnus Apollo.

§. VII. Haec cum ita sint, non dubito futuros esse plerosque, qui à me quaerant, ut quem Minoricensium omnium Episcoporum antiquiorem norim indicem saltem. Indicabo lubentissimé. Severo, cuius gloriae amplificandae, Exercitatiunculam istam consecramus, & quem anno à Virginis partu CCCCXVIII., vel paulo ante, (a) Patriae Praesulem auguratum scimus, vetustior mihi nullus innotescit.

§. VIII. ¿Sed quisnam proximé Severo suffectus? Non liquet. Praecisé & restricté aio quod sentio. ¡Utinam Minoris Balearis Antistitum non dicam acta digerere, non syllabum ad temporum rationem exigere, sed vel nuda nomina mihi promere liceret! Maligno tamen prorsus sidere factum est, ut post Severum rebus humanis exemptum, unum Nostratum Episcopum Macarium norimus, illum inquam Macarium, cuius memoriam longa haud imminuet dies, quòd apud Sirmondum, (b) Harduinum, (c) alios, (d) in Episcopis Ca-

(a) *Ex eiusd. Epist. num.* 3.

(b) *In Notit. Eccles. African.* Vict. *Vitens. de Persecut. Vandal. Libris* adiecta.

(c) *Reg. Collect. Concil. Tom. II.*

(d) Carolum á S. Paulo in *Geographia Sacra Notit.*

Catholicis (a) „ diversarum Provinciarum, „ qui Carthaginem ex precepto Regali venerunt pro reddenda ratione fidei suae, die „ Kal. Februar. anno VI. eruditis, (sic Harduinus) VII. VIII. aliis, Regis Hunnerici" annumeretur. (b)

§. IX.

---

nit. Italiae, num. 14. Florezium *España Sagrada* *Tom. I. cap.* 15.

(a) Istos in *Notit. Eccl. Afric.* mox memorata CCCCLXVI. fuisse, é quibus LXXXVIII. vitam cum morte commutasse, é superstitibus, CCCII. in Africam, in Corsicam XLVI. relegatos, XXVIII. fugam arripuisse, Confessorem unum, excruciatum alium leges, at quaenam Balearibus sors obtigerit non leges.

(b) Et in Sardiniae quidem Antistitibus hunc in modum:

„ Lucifer Calaritanus.
„ Martinianus de Foro Traiani.
„ Bonifacius de Sannasser.
„ Macarius de Minorica.
„ Vitalis Pulcitanus.
„ Felix de Turribus.
„ Elias de Maiorica.
„ Opilio de Ebuso.

Ex hoc porro Episcoporum syllabo (quod obiter monuisse placebit,) & ex *Siricii Epistola Decretali ad Himmerium*, á Veteris Hispaniae Sacrae provinciis Baleares segregandas esse Florezius recté conficit. Scio Mutium, Garibaium, alios, ab Illiberitanae Synodi, alios á Constantini M. temporibus, Josephum Bin-

§. IX. Si quis autem forté miraretur, ne quidem Veterum aliorum Antiſtitum Noſtrorum nomenclatoris officio mihi fungi licere; mirari certe desineret ſimul ac non modò Maioris Balearis Episcopos, uno dempto Elia, á quo eamdem cum nuper memorato Macario peregrinationem susceptam esse conſtat, praeclariori longé quam Minoris Ecclesiae regendae admotos, verum etiam propemodum infinitos, illuſtrioribus adminiſtrandis praefectos, ne de nomine notos eſſe deprehenderit; parvulo autem labore deprehendere quicumque poterit, si ingentem adeó huiusmodi exemplorum copiam eſſe animadvertat, ut tametsi externa, eaque multitudine innumerabilia praetermitterem, domeſticis paginam facere utramque, nullo negotio, poſſem. Unum, ſed maximé luculentum à Viro in Ecclesiae-

---

Binghamum, cui nuper apud Venetos *Lucii Paleotimi* persona aptata, extremo IV. seculo eas ad Hispaniam Ecclesiasticam pertinuisse non addubitare. Dissentio. Cons. Florez. loc. cit. Neque doctissimo Hieremiae á Benettis assentiri possum, qui *Privileg. in persona S. Petri Rom. Pontif. collat. Tom. IV. P. II. Prolegom. Artic.* 2. Balearium quondam Insularum Metropolim Palmam dicit „ quae tamen ex Decretis Ecclesiasticis (subiungit) vindicari eidem nequit." Sed de his alio die.

clesiaſtica eruditione nemini secundo, Antonio Auguſtino afferam.

§. X. Is cum Ecclesiae suae Tarraconensis Antiſtitum seriem texeret, quae apud Philippum Mey Typographum suum accuratiſſimum anno MDXXC. in lucem prodiit, & qua Florezius *Hispaniae Sacrae* Tomum XXV. veluti gemma diſtinxit, in quinque primis Repar. Salutis ſeculis certos dumtaxat quatuor Cathedrae illius Praesules invenit, haud ab alio quam à B. Fructuoso (XII. Kal. Januar. anno CCLXIII. plus minus, inviciſſimo Martyre) auspicia ſumens, Fructuoso Himmerium, Ascanium, Joannem ſubnectens. (a) Non ſecús ac in Civili Vetere Balearium Hiſtoria evenit, nihil feré in ſacra eſt, quod, ne per nebulam quidem, videre queas. Circumfusa ubique caligine, incerta librabis veſtigia, & si candidé ſervare decet loquendi libertatem, qui Ecclesiaſticos Noſtratium Annales condere aggrederetur, pondus non tractabile sibi ſumeret, & quod tractatum nitescere poſſe desperaret, fieri haud poſſet quin faſtidii pleniſſimam ſpartam tandem aliquando non abiiceret.

§. XI. Subactis enim Barbarorum ferro flam-

(a) Conf. Aymerichius *Lib. I. P. I §. XI.*

flammaque Balearibus, multa, quae apud ipsas erant Episcoporum Acta suorum, multa Ecclesiarum decora suarum, multae sacrorum memoriae Virorum suorum periere, atque funditus feré ista periere, ut quemadmodum infinitorum, iis plané de causis, monumentorum iacturam Hispaniae lumina deplorant; ¿ ecquis nobis, ab hominibus illis, cum ad litterarum perniciem, tum ad Religionis sanctissimae dedecus natis erepta considerans, á lacrimis temperabit? Vel laceras hoc é naufragio tabulas, omni cariores auro, queis sanum sinciput sit, Nostratibus habendas, nullus addubitarem: propterea quód illud in fatis nostris fuisse videam, ut Ecclesiasticas priorum seculorum, quales eaecumque essent Antiquitates nostras, ludum insolentem ludere pertinax sors, adeo nobis invideret, ut maximam illarum partem, si quas indicavimus, & quas adducturi sumus excipias, in dias luminis auras haud eductas probé sciamus, aliquando educendas vix audeamus sperare.

§. XII. In XI. Toletana Synodo, die VII. Novembris anno DCLXXV. habita, cum penes Wambam Hispanarum rerum summa esset, Balearium Episcopos Tarraconensi Praesuli parere iussos, vel, ne quis sua verba desideret, *suffraganeos factos* plerique tradidere. At Florezium egregié contra disputantem sequimur, qui

qui nubem eos pro iunone amplexos luculentiſſimè oſtendit. (a)

§. XIII. Petri de Marca cineres bene quiescant, á quo accepimus (b) Servum Dei (c) Gerundensem Episcopum, â Formoso Pontifice Max. an. DCCCXCII. consequutum fuisse, ut Ecclesiae suae bona, in quibus utraque Balearis erat, Apoſtolica autoritate (sic loqui amamus) confirmarentur. Et á Baluźio, Romani, cui, non múlto poſt Formosum, Supremum Sacerdotium commiſſum fuit, (d) Epiſtola ad ipsum Servum Dei descripta eſt, quae Ecclesiae Gerundensi ſarta tecta ſervari iubet " domos, plebes, cellas, Ecclesias,

B Vil-

(a) *Tom. IV. Tract.* 3. *cap.* 5. & *Tom. VI. Tract.* 6. *cap.* 13.

(b) *Marcae Hispan. Lib. IV.*

(c) Is ille est *Servus Dei*, quo in vivis agente, *Hermemirum Frondoinus* Barchinonensis Praesul Gerundensem Episcopum inauguravit, eaque de causa Urgellitanae Synodo reus interfuit; poenitentiaque obita, canonicam depositionem, quam promeritus fuerat, á se amovit.

(d) Ante quintum decimum Octobris diem anni proximi, quod ex Epistola, qua de sermo, Dumesnilius ad eumdem annum colligit. Et quidem illius Epistolae haec est subscriptio: „ Scriptum per ma-
„ num Sergii Serinarii S. R. E. mense Octobri Indic-
„ tione prima" Vid. Append. Marc. Hispan. cap. 59.

,, Villas, & Insulas Maiorica scilicet, & Mi-
,, norica (*sic*) seu curtes, Parochias, ter-
,, ras, vineas, prata, sylvas, una cum fa-
,, miliis utriusque ſexus, cum omnibus adia-
,, centiis, ſeu pertinentiis ſuis, quae á piis Im-
,, peratoribus, vel religiosis viris, vel ab aliis
,, Deum timentibus in eadem Ecclesia Gerun-
,, densi collata ſunt, ſicut ipse (Servus Dei)
,, nunc usque legali ordine tenere videbatur.

§. XIV. At non apté ſatis heinc eliceres Balearem utramque, ſuis per ea tempora Episcopis orbatam fuiſſe. Mendosè vero ex Hali Deniae Regis Privilegio, quo de multis Dametus, (a) à Diago primum, (b) dein á Marca sive Baluzio, (c) accuratius poſtremó à Florezio (d) evulgato, colligeres, cum Mahumeddanorum imperio Baleares premerentur, ſuum Noſtratibus Antiſtitem haud defuiſſe, ut Maioricensibus ea tempeſtate impositum ex eodem Sarraceni ipsius Principis Diplomate Vincentius Mutius (e) colligebat. Ego

(a) *Lib. I. Tit. 4. §. 3.*

(b) *Anales de Valencia fol. 242.*

(c) *Append. Marc. Hispan. num. 248.*

(d) *España Sagrada Tom. VII. Append.* 3. Cons. & ipse Florez. *Tom. XXIX. Tract. 65. cap. 6.*

(e) *Lib. XI. cap. 2.*

Ego ſanè, quamquam nihil non rerum ſategerim ut elicerem, non exsculpsi.

§. XV. Verbo non amplius uno addam, & gestarum ſequiore aetate noſtra in Ecclesia rerum memoriam ita deficere, ut tantum ſciamus à rudi licet, non tamen indiligenti Scriptore litteris proditum eſſe; (a) quemadmodum, poſt multas Iacobum inter Debellatorem, & Episcopum, Canonicosque Barchinonenses altercationes, transactum fuerat, ut primi Maioris Balearis Pontificis electio Iacobo Regi permitteretur, & deinceps eidem praeficiendus Antiſtes (quod totidem fere verbis, é vetere certe Inſtumento apud Aymerichium (b) legas) eligeretur „ per Episcopum, & Capitu„ lum Barchinonae, cum aſſensu Regis Arago„ num, qui tunc regnabit, & de gremio Ec„ clesiae Barchinonensis, si ibi idoneus po„ tuerit reperiri; " si quando Balearem Minorem, Ebusumque Episcopali Cathedra ornari contingeret, é Maioricensium Canonicorum collegio Praesulem iisdem regendis admovendum. Sed non multo poſtquam singulari numinis providentia Alphonsus Aragonum Rex In-

(a) Binimelis *Historia del Siti, Poblacio, y cosas del Reyne de Mallorca. Lib. III. cap.* 26.

(b) *Lib. II. P. III.* §. *XII.*

Insulam noſtram é durissima eripuerat ſervitute, inque priſtinam asseruerat libertatem eamdem, Bonifacio VIII. annuente, (a) Maioris Balearis Antiſtiti ſubiectam fuisse probé tenemus. (b)

§. XVI. At de his, quae olim forsan iuvabit meminiſſe, ſat, ſuperque. Ad Severum orationem convertamus. Principio, quod á Thoma Riera (c) accepimus, eumdem á nonnullis Severinum dictum, non miror. Ab illis etiam ſciens, prudensque interrogationibus, perquam extricatu difficillimis abſtinebo ¿quinam Severo parentes? quod natale ſolum? (d) quo ille usus praeceptore? num artibus quae ad humanitatem pertinent informatus? quea-

---

(a) Bulla Avenione an. MCCLXXXXV. data.

(b) Errant proinde, & splendidé errant qui cum Ambrosium Catharinum, nomen de Schola Theologis notissimum, cum Thomam Zerolam, canonicae prudentiae Consultum, Episcopalibus Insulae nostrae infulis cingunt. Erroris causa facilis. Minorensem Ecclesiam, quae in Regno Neapolitano sita est, uterque administravit.

(c) In opere Hispan. cui titulum fecit *Joel Religioso* pag. 59.

(d) Sunt qui Jamnotana in domo, memoria nostra, Templo, cui Deiparae *á Rosario* nomen, é regione opposita, Severum natum aiant. Apage canoram nugam.

quaenam ipsius antequam Pontificatum auspicaretur gesta? quae nobiliora iam Episcopi acta? & ut alia praetermittam, (a) ¿ quo anno natus? quo fato functus?

§. XVII. Severum Nostratum Antistitem iam diximus, neque dixisse poenitet: tametsi illum Maioris Balearis Lorinus, utriusque Ciaconius Episcopum faciant. (b) Nam ut taceam eruditarum frontium ingentem populum eadem in sententia fuisse; (c) *Minoricensis Insulae Episcopum* Christ. Sec. V. Scriptor, conceptis verbis, eumdem vocat, (d) &

(a) Fuit, & me non semel audiente fuit, qui Mogodae, nescio cuius, de Balearibus (ut ipse appellabat) vaticinia recitaturus, ab homine Severi domestico, & perquam eidem familiari fusa affirmabat. Ego, cui illa non tantum Oedipo egere, & verba quibus efferuntur recenti signata nota videntur, verum etiam Mogoda tam fictitius est, quam mons aureus; funditus id missum fecissem, si ut catuli (absit iniuria verbo) olerent sues, vel si reperto pane ad glandes illi non redirent, quibus persuasissimum est nihil omnino falsum esse posse, quod á bono illo Mogodae laudatore audierint.

(b) *Locis allegandis.*

(c) *Infra laudandum.*

(d) Lib. *de Miraculis S. Stephani*, quos in Append. Libr. S. Augustini *de Civit. Dei* Maurini transtulere, Lib. I. cap. 2.

& ipsemet Severus *Jammonae*, & *Magonae*, quae *Insulae Minoricae oppida* vix dixerat, *Sacerdotalis officii pondus sibi impositum* dissertissimé refert. (a)

§. XVIII. Popularibus noſtris Severiana notitia non tam imbutis quam tinctis, quibus é Sac. Interpretibus, (b) & ex Auguſtiniano Sodalitio, (c) & é Balearibus Hiſtoricis (d) nonnulli ſuffragantur, eo Severum officio colere ſolemne eſt, ut eius nomen efferentes, *Sancti* vocabulum praemittant. Sed neque patriis, neque externis religionibus illud consecratum reperimus. Jacobus etiam Caresmarius Praemonſtratensis Canonicus, Cathalauniae splendor ſuae, Ecclesiaſticarumque Hispaniae Antiquitatum infatigabilis indagator, Domenechii, (e) & Aymerichii, (f) hac in re diligentiam longo poſt ſuam relinquens intervallo,

(a) Num. 2.

(b) Ut Alapide, & Lorino *in Actor. Apostol. cap. VII.*

(c) Riera loc. laud. Jordanius *Historia de la Provincia de la Corona de Aragon de la Orden de S. Agustin P. IV. cap. I.*

(d) Dametus *Lib. I. Tit. III.* Mut *Lib. XI. cap. I.* Serra §. 12.

(e) *In Vita S. Severi Barchin. Episcopi.*

(f) *Lib. I. P. II. §. II.*

vallo, cum Severos *Sanctorum* nomine insignitos, plusquam decumano labore, numerandos suscepisset, duorum supra triginta syllabum texuit, (a) Nostratem in illis non annumeravit, quem tamen Ecclesiasticos inter Scriptores cognomines, paucis interiectis, his verbis locat: (b) *Severus Minoricensis Episcopus.* ¿Quorsum igitur pedem inferremus quó intulisse piaculo esset? At *Sancti* illum praeconio laudatus iam, soepius vero laudandus Scriptor prosequutus est. (c) Haud secus, ac Episcoporum quemlibet ea tempestate, (d) apud Graecos nostra, (e) fidelium quemcumque

(a) Dissert. cui Titulus *S. Severus Episcopus & Martyr, Sedi & Civitati Barchinonensi noviter assertus & vindicatus Cap. I. num.* 50. proximo numero subiungens: „ Hi sunt, quos ex Moeneis, Martirologiis, Menologiis, Hagiologiis, & Kalendariis vetustis, quae edita sunt á Bollandianis sparsim in vastissimo suo opere de Actis SS., quae á Dacherio, Martenio, & Ursino Durando, Bechio aliisque, quae á recentioribus huius generis scriptis seorsim editis, tum particularium Ordinum, vel Statuum, tum Regnorum, & Provinciarum, quae utcumque reperire potui, collegi.

(b) Num. 51.

(c) Lib. *de Miracul. S. Stephani loco cit.*

(d) Conf. Baluzius initio *Notarum in Salvianum.*

(e) *Lettres Edifiantes Let. I. Tom. I. Edit. de* 1780.

que Apoſtolica, (a) eodem ornari moris erat, reponerem.

§. XIX. Sunt, si Jordanio fides, (b) qui Eremitarum Auguſtinensium familiae Minoricensem Severum cooptatum affirment, & Jordanius ipse veri id putat similius. Non is ego ſum, qui quasi crambem non ſatis eſſet ſaepiſſimé recoxiſſe, de Auguſtinianae Monaſticae Sodalitatis initiis, periculosae plenum aleae opus fortasis tractaturus, disputationem instituam. Nimio plures haud deerunt, qui pro nata re, vel occasione arrepta, eam ultró citróque agitent, quos ego otiosus pugnae ſpectator viderem

& cantare pares, & respondere paratos.

Cl. Thomaſſinii verba (c) huc lubens transfero: „ Non mihi heic ego partes aſſumo iudicis, „ vel arbitri; tanti non eſt mea vel peritia, „ vel

---

(a) Vidend. Spondanus in *Epitome Baron. Annal. ad annum XLIII. num.* 4,: Selvagius *Lib. I, P. II. cap.* 15. §. 1. *num.* 5. & Benedictus XIV. in *Litteris Apostolicis de Nova Martirologii Rom. Editione* ad Joannem V. Lusitaniae Regem *num. XXXII.* quae & in Operum eiusdem Pontif. Tomum VI. Edit. Rom. an. 1767. translatae sunt.

(b) *Loco cit.*

(c) *Vet. & Novae Eccl. Discipl. P. I. Lib. III. cap.* 2. *num.* 7.

„ vel autoritas. Meam tamen praefatus reve-
„ rentiam, & observantiam summam in eos
„ omnes, qui tam pulchra & laudabili cupi-
„ ditate adoptandi sibi Parentis, & Patroni
„ Auguſtini flagrarunt : : : dicam quod propius
„ à vero abeſſe mihi visum eſt." Nihil teſti-
monio, nihil coniectura confici poſſe animo
aſſequor, ut Auguſtinianis Eremitis Severum
adsciscere queamus. At Monachos Christiano
Sec. V. ad Ecclesiarum gubernacula tractanda
aſſumptos, Baronio praede advocato, (a) Jor-
danius continuó ſubdit: Severum autem, iis-
dem pené diebus, quibus Magonem Orosius
pervenerat, *Sacerdotium* adeptum fuiſſe. (b)
¿ Quid tum poſtea? Auguſtino duce, auspice,
conditore, Seminaria per Africam excitata,
quae ex Hipponensi, tamquam é fonte redun-
darunt, & multos & egregios Pontifices datura
liquet; (c) quod Jordanius pronuntiat non
liquet. (d) ¿ Ecquis facilé sibi ipse non persua-

C deat

(a) *Ad ann. CCCXCVIII.*
(b) Ex eodem Severo *num.* 3.
(c) Cons. Thomassin. *Lib. cit. cap.* 3. *n.* 11. *&* 12.
(d) Vid. Thomassin. *Lib. cit. cap.* 2. 3. *&* 12. aut saltem qui Thomassinii argumentorum summam dedit Selvagius *Lib. I. P. II. cap. XIII.* §. 2. Videndus & pro Augustiniensium Monachorum in alia pror-

deat haud paucos é Romanis, Vercellensi, Volscorum, & Tusciae Insularum coenobiis, Hieronimi sermone (a) nobilibus, ad Episcopatum evectos? ¿ Nullusne Pontifex renuntiatus ex infinita illa Ascetarum multitudine, Caprariam, & Gorgoniam Tyrrheni maris insulas incolente, de qua eleganter, ut cum Marshamo loquar, sed non christiané (b) Rutilius Numatianus cecinit: (c)

„ Processu pelagi jam se Capraria tollit
„ Squallet lucifugis insula plena viris
„ Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt
„ Quod soli nullo vivere teste volunt
„ Munera fortunae" cet.

¿ Annon é Gallia, qua tota, ut Norisii verba (d) mea faciam, post annum CCCC. Monachorum coetus, velut fecundissima apum examina excrevere, innumeri propemodum Coenobitae Ecclesiarum regimini admoti? ¿ Sed haec quorsum? Sulpitius Severus, quem pluris hac in re, quam auritos testes decem facio, de Coenobiis cum Turonensi, cum Mediola-

prorsus abeuntium sententia unus pro cunctis Bertius in *de Rebus gestis S. August. cap. XXIII. & seqq.*

(a) *Epist. ad Occean. in Chron.* & aliis in locis.
(b) *In Propyl. ad Monasticon Anglicanum.*
(c) *In Itinerario ad Venerium Rufum.*
(d) *Hist. Pelag. Lib. I. cap. 3.*

lanensi, quod & Augustinus *plenum bonis fratribus* fuisse ait, (a) à B. Martino conditis „ Plures, inquit, (b) ex his postea Episcopos „ vidimus; quae enim esset civitas, aut Ecclesia „ quae non se de Martini Monasterio cuperet „ habere Sacerdotes?" Et ut pauca de Lirinense adiiciam, fortassis anno circiter CCCC, (c) vel á CCCCX, ante medium seculi V. certè, aedificato, ex eo Sanctissimos Praesules memoria prodiisse sua Caesarius Arelatensis Antistes autor est. (d) „ Beata (haec illius sunt) & „ felix insula Lirinensis, quae cum parvula, „ & plana esse videatur innumerabiles ad coe- „ lum montes misisse cognoscitur. Haec est „ quae eximios nutrit Monachos, & praestan- „ tissimos per omnes Provincias erogat Sacer- „ dotes, ac si quos accipit filios, reddit Pa- „ tres." Et multò ante Caesarium C. Sollius Apollinaris Sidonius in hunc modum Faustum Reiensem Praesulem alloquebatur (e)

„ Seu te Lirinus priscum complexa parentem est,

Quo

(a) *Confess. Lib. VIII. cap. 6.*

(b) *In Vita Martini Lib. I. cap. 6.*

(c) Mabillon. *in Append. Tract. de Stud. Monast. Art.* 22.

(d) *Homil.* 25.

(e) *In Carm. Eucharist. ad* eumdem *Faustum* versus finem.

„ Quo tu jam fractus permagna soepe quiete
„ Discipulis servire venis. . . . .
„ Fratribus insinuans quantos illa Insula plana,
„ Misserit in Coelum montes, quae sancta Caprassi
„ Vita senis, iuvenisque Lupi, quae gratia patrem
„ Mansit Honoratum, fuerit quis Maximus ille,
„ Urbem tu cuius Monachusque, Antistes, & Abbas
„ Bis successor agis, celebrans quoque laudibus illis
„ Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.“ (a)
Atqui omnes, quibus de hactenus, Monachos, cum extra Augustinianae Reipublicae confinia deportandos, domesticorum phalangem nihil metuens, Norisius uberrimé juxta, ac eruditissimé evincat; (b) ¿eccur in Eremitico Augustiniensi Sodalitio religiosum abs Severo sacramentum dictum crederemus?

§. XX. Et his quidem iudicii mei, si quid illius est, summam habes. Augustinum monentem audivimus (c) „ quaeso deponite studia partium, & verum non vincendi, sed „ inveniendi gratia quaerite.“ Refelli sine pertinacia parati sumus, „ parati quoque corrigi,“ ut Augustini voces iterum mutuas suma-

(a) Caprasium si demas, quos Sidonius memorat Episcopi omnes fuere, Honoratus, & Hilarius Arelatenses, Maximus Reiensis, Eucherius Lugdunensis.

(b) *Hist. Pelag. Lib. I. cap.* 23. & *Lib. II. cap.* 2.

(c) *Lib. II. de Moribus Manichaeor. cap.* 3. *n.* 5.

mamus, (a) „ si fraterné ac recté repre-
„ hendimur, parati etiam si ab inimico, vera
„ tamen dicente; mordemur." Quamquam Augustiniani Eremitae tantum aberunt ut ne minimam quidem honoris accessionem rebus fieri suis putent, si viros, quà á natalibus, quà à muneribus praeclarè administratis, quá à morum integritate, quá ab eximia doctrina conspicuos, in familiam adsciscendos suam asseveremus, qui num ex ea fuerint nec ne adhuc sub iudice lis est, ut latam ab integerrimo Benedictinorum Congregationis S. Mauri conventu, an. MDCLXXVII. habito, simili plané in causa, adversus Bastidam, pro Eruditissimo Mabillonio, sententiam, se vehementer probare exemplis ipsis confirment, probé conscii haud alienis exuviis, dubiisque decoribus egere se, infinitis nominibus de Ecclesia immortaliter meritos, & quorum, ceu de dulcissimo eorumdem praesidio Augustino, Aeneas Sylvius, postea Pius II., verissimé scripsit: (b) *tanta gloria est ut neque ullius laudibus crescat, vituperationeve minuatur.*

§. XXI. Vix dum lucubratiunculam Severo repetendam ob oculos posueris, iucundum tibi,

---

(a) *Lib. II. de Trinit. cap. 9. n. 16.*
(b) *Ep. 130. ad Card. Carvajal.*

bi, quas ille excolebat virtutum ſpectaculum ſe obiiciet, & non earum tantum, ad quas humanum omne genus divinitus eidem conceſſus inſtitutor movebat, impellebat, inflammabat; ſed illarum potiſſimum, quas ad Sacerdotii faſtigium evecti colere potiſſimum debent, in quibus praedicandis Sacrorum tota Oratorum natio, & exultare ſolet, & triumphare.

§. XXII. Severi ad eruditionem quod ſpectat, ſatis ſe in divini foederis utriusque oraculis versatum, maiorum placitis venerandis informatum, Eccleſiaſticae diſciplinae peritum, quin & in patriae hiſtoria non omninó hoſpitem fuiſſe, & multis, & perſpicuis argumentis ipse evincet.

§. XXIII. Quamquam Antonius Poſſevinus, (a) Michael à S. Joſepho, alii (b) duas Severo Epiſtolas tribuant, alteram ad Uzalensem Antiſtitem Evodium, quam Baronio praede advocato, in Vaticana Bibliotheca cuſtodiri Riera ſubiungit, (c) alteram ad Universam Chriſtianorum concionem: unam hanc Severo adiudicandam aio, quod ab ocula-

---

(a) *In Apparatu Sacro Tom. III.* Edit. Venet. an. MDCVI. *pag.* 211.
(b) Infra laudandi.
(c) *Pag.* 60.

culato teste acceperim, istam dumtaxat laudata in Bibliotheca, quae nullam á Rierae aetate monumentorum iacturam passa est asservari, & quod haud exiguum doctorum capitum numerum mox appellandum, & quòd Baronium ipsum (a) mecum consentientem habeam, qui haud aliam á Severo Epistolam, quam ad omnem Ecclesiam datam memorat.

§. XXIV. Hanc equidem in Uzalensi, quam Evodius Episcopus administrabat, recitatam illius temporis Scriptor luculentissimé testificatur, (b) qui & eiusmodi argumentum fuisse dicit: „ gloriosi Stephani virtutes, quas „ in Insula (Baleari Minori) per praesentiam „ reliquiarum suarum in salutem omnium illic „ credentium perfecerat Judaeorum. " (c) ¿ Quid vero causae fuit ut ad universam Rem J. C. publicam eiusmodi narrationem dirigere operae pretium Severus duxerit?

§. XXV. Orosius, una cum sacrarum Stephani exuviarum particulis, & Luciani de ea-

(a) *Loco infer. recitando.*

(b) Libro *de Mirac. S. Stephani cap. laud.* quod & Tillemontius, & Fleurius, & alii videre.

(c) Et apud alias lectam Ecclesias, altum licet hac de re Augustinus sileat, contra quam Alphonso Ciacconio videatur *in de Vit. & Gest. Summ. Pontif.* (ubi de Zosimo) ¿ ecquis addubitaret?

vi-

earum *Revelatione* Epiſtola, (a) Hispaniam remigrare conſtituerat. Sed Magonem appellere coactus, in eius oppidi Ecclesia dulciſſima Martyrum coriphoei pignora collocat. (b) Magonem Severus illicó advenit, eaque videt *magnalia, quae apud nos Chriſtus*, Stephani interventu, *operatus eſt*, (c) quaeque licet, & dictu, & visu mirabilia futura expectare potuiſſet, expectationem tamen viciſſent ſuam, illorum potiſſimum: Magonenses quotquot erant Judaei sese in Reparatoris fidem, triumphumque dedunt. Haec anno á parta Orbi ſalute CCCCXVIII. geſta ſunt. Haud mora. *Veridico* idem ipse Severus *ſermone ea referre* aggreditur, (d) & ut chriſtianarum ubique gentium celebrentur, litteris mandat.

§. XXVI. Plenis hactenus velis. Jam nobis remoram iniiciet Dumesnilius, qui *Librum XXI. Doctrinae & Disciplinae Eccleſiae* (e) vix auspicatus, sic pergit: „Haec
„ pauca é longiore Severi Epiſtola delibavimus,
„ quam

(a) Sic ea, de qua multis inferius, inscribitur.
(b) *Epist. Severi num.* 3.
(c) *Num. I. eiusd. Epist.*
(d) *Num. I. Epist. eiusd.*
(e) Juvat quod de hujusce operis pretio Michael

á

„ quam putamus interpolatam plurimis factis „ extraordinariis, & mirabilibus inter se malé „ consutis.“ Atque ut id ostendat, ea adhibet argumenta, quae opportuniore loco singulatim proferam, & quae non oppidó tantum ingeniosa, sed etiam similia veri videantur. Validé egregius Scriptor causam egit suam. Ego tamen aliam prorsus contra tueor, & efficiam fortassis, efficere certé conabor, ut

D si

á S. Josepho (*in Bibliograh. Crit. V. Ludovicus Dumesmil.*) statuit, in medium afferre: „ Egregius autor „ id circa universalem Ecclesiae historiam re ipsa „ praestat, quod in Tripartita exigui temporis nar„ ratione Cassiodorus praestare cogitaverat. Accedit „ haec autori, operique laus..... nempe quod His„ toricum pollicitus, Theologum insuper exhibet, dum „ á narrationis serie, & simplicitate non recedens, „ singularum aetatum recta, pravaque dogmata, non „ adulterata, sed ipsis Autorum verbis expressa re„ citat, atque recenset, & recensendo confirmat, „ refutatve..... Adde in hoc ipso opere inveniri „ quamdam veluti Bibliothecam Scriptorum Eccle„ siasticorum XII. priorum Ecelesiae seculorum, „ quorum praecipua opera designat, argumenta „ recitat, atque de eorumdem qualitate, sobria „ quadam, ac prudenti critica, plerumque edisserit. „ Pulcherrimae prorsusque utilissimae sunt vario„ rum Scriptorum Synopses á nostro Ludovico „ consignatae.

si quis arbiter honorarius illud ex XII. Tab. lege *melius*, *aequius* hoc in iudicio ſequatur, neque á maioris prae Dumesnilianae probabilitatis gradu meam excidere ſententiam pronuntiet, neque operae in Baroniana Epistola Severi, huic ex aſſe vindicanda locatae, olim me verear poenitendum.

§. XXVII. Id autem ubi mihi perficiendum conſtituo, cohibere me non poſſum, quin poſtquam nonnulla, de Baronianis maximé Annalibus in univerſum, mihi non inutilia, aliis ut ſpero non iniucunda praemiſſerim, ab ovo, ut in proverbio eſt, ad mala usque, rem consecter.

§. XXVIII. Non ego, rudis licet Minervae homo, manus confeſtim ei darem, qui codici, qua reipsa caret autoritatem, inde arceſſeret, quod in Urbis principe Bibliotheca proſtet, quam ab ipsomet Baronio *ſagenae miſſae in mare*, *& ex omni genere piscium congreganti* comparatam, clarus, tametsi luxuriantis quandoque ingenii, Theologus animadvertit. Non cum Baronio errare malim, quam cum aliis vera ſentire. Non enim tantum apud me de Eccleſiaſticorum Annalium Parente opinio praeiudicata poteſt, ut ſine ratione valeat autoritas. E Sirmondianis fontibus quae ad ameniores litteras pertinent, in hortos ſuos Baronius derivârit.

vârit. (a) Athenas usque, quod ipsi Basnagius exprobare haud debuit, non navigârit. Hebraicè ſatis doctus non fuerit. Longius non ſemel, quam res poſtulabat à via digrederetur. Eiusmodi aliquando argumentata attulerit, á quibus consultius abſtinuiſſet, &, quod si praeterirem naso me adunco hypercritici ſuspenderent, Veterum legitima ſcripta à ſuppositis, interpolatisque non ſemper discreverit. Uno verbo: ſuis Baroniani Annales maculis, quas aut humana parum cavit natura, aut incuria fudit, offendantur. Quid tum inde?

§. XXIX. Causae arcem, nam quod instat agendum, ingrediamur, & neminem futurum eſſe puto, qui simul ac Baronii de Severi Noſtratis Epiſtola abs ſe inventa narrationem expenderit, non illi fidem continuó accomodaturus sit. Prodit ſe extemplò ingenuus candor, simplicitasque gratiſſima. De re oculis ſubiecta propriis Vir clar. verba facit, qui tam gnaviter fauſtisque adeó avibus in huiusmodi litterarum genere operam posuerat, ut laudatore inimico Jsaaco Casaubono, (b) omnibus ſua diligentia palmam praeripuerit. Atqui

(a) Vid. Baillet *Jugemens des Sçavans tom. II. pag. 2.*

(b) *Prolegom. ad Exercitationes in Baron.*

qui idem ipse eſt Caesar, qui Severi opellam integram á ſe repertam ait, qui ſe reperiſſe Stephano in acceptis refert, sibique gratulatur, qui describit, qui tamquam pannum, qui laté ſplenderet, Rerum in Ecclesia Sec. V. geſtarum expositioni assuit, qui paucis, ſed eruditis notis ornat, qui Evodio redditam aſſeverat. Haec illius ſunt: „ Contigit hoc anno (CCCCXVIII.) conversio Judaeorum Insulae Minoricensis, virtute ſacrarum Reliquiarum S. Stephani Protomartyris, quas Orosius ſecum in Hispaniam vexit. Acciderunt quidem res admirandae, toti chriſtiano orbi factae perspicuae ex litteris circularibus Severi eius Insulae Episcopi, ad omnes Ecclesias datis, & publicé ubique lectis, quas inter alios accepiſſe liquet Evodium Episcopum Uzalensem, & coram populo eas recitare feciſſe, id enim inscriptus ad ipsum liber teſtatur." Pergit, é *libris de Miraculis S. Stephani* teſtimonio, mox á me recitando allato. „ Datum eſt autem nobis ut inter ſcribendas Vaticanae Biblitohecae antiquitates, eamdem reperiremus Severi Epiſtolam integram, quam describere ut egregium antiquitatis monumentum dignum exiſtimavimus." Vel unum mihi Ecclesiaſticorum Annalium, cedo locum, ubi, si omnia in eum confluxerint, quae pro

ho-

hodierna Severi lucubratiuncula Baronius persequitur, non dicam oppugnari, sed ne impugnari quidem iure hic possit.

§. XXX. Patientem tantisper aurem probatae fidei historico porrigito. Sic ille: (a) „Eodem die quo ingressae sunt Ecclesiam (Uzalensem, in Africa Proconsulari sitam, & Uticensi vicinam) „Beati Stephani reli„quiae, in ipso principio canonicarum lec„tionum, Epistola ad nos quoque delata cu„iusdam Sancti Episcopi, Severi nomine, Mi„noricensis Insulae, de pulpito in aures Ec„clesiae, cum ingenti favore recitata est, quae „continebat gloriosi Stephani virtutes, quas „in Insula memorata, per praesentiam reli„quiarum suarum, in salutem omnium illic „credentium perfecerat Judaeorum. Unde ex „hac recitatione talium factorum suorum, „tamquam extensione manuum suarum ac„clamantibus, & exultantibus fidelibus ipse „dicere videretur: *Ecce habetis Martyrem.*" Isthoc sané testimonio, cuius Baronius priora verba recitavit, non possum heic ego loci, & soepenumero non uti libentissimé, quoniam, licet ab Evodio haud datum esse probé

(a) Lib. *de Miraculis S. Stéph. cap.* 2. versus clausulam.

bé teneam, (a) ab Anonymo, (b) eiusdem cum Severo, & cum Evodio aetatis, (c) & Monacho, si Bertium audias, (d) Clerico fortasis, (e) & Viris praeclariſſimis in pretio habito, (f) & ex opere in quo multa bona ſunt, & in quod multa é Severiana opella translata, (g) dictum eſſe nullus dubitem.

§. XXXI. Neque profecto video quid firmiſſimo huic argumento reponi queat ¿ Quot enim Veterum lucubrationes ad noſtra usque, proximave tempora prorsus ignotas in medium afferre liceret, quas vel iuniorum columina criticorum, iisdem illis, quibus tribui

ſo-

(a) Cum Torellio, Lovaniensibus, & Benedictinis Augustinianorum Operum Editoribus, Dumesnilio, Bertio, qui tametsi *de Miraculis S. Stephani* Libros Evodio plerique tribuerint, Evodio abiudicandos esse demonstrant. Conf. Maurinorum in eosdem Libros *Admonitio*.

(b) Isthoc nos illum vocabulo, sive *Uzalensem Anonymum*, sive *Uzalensem* tantum, brevitatis ergó, assiduó appellabimus.

(c) Conf. ejusdem *Lib. Prologus*, & quae Prologo subiecta sunt.

(d) In Append. Oppellae *de Rebus gestis S. Aug. ubi de Anonymo.*

(e) Vid. Ursius *Hist. Eccl. Lib. XXVII. n.* 80.

(f) Baronio, Lambertinio, Gottio, aliis.

(g) Conf. nostras in Sever. Epist. notas.

ſolitae ſunt, ex aſſe adiudicandas, sin aient, vix non aſſentirentur? Haud opus eſt è campis ultimis documenta repetere. ¿Eccui enim ſodes incompertum, ex uberrimo Sacrae antiquitatis latifundio divitem id genus scriptorum ſuppellectilem erutam, quorum tametsi ſuperiore memoria nulla feré mentio, á Viris in Ecclesia illuſtribus, quorum praeseferunt nomina, quanta eacumque ad nos pervenerunt, re quidem vera litteris consignata, aequiſſimi iudices pronuntiant? De epiſtola lis eſt, ab epiſtolis veritatem exquirere pergamus. Antequam Firmilianica á Morellio, (a) Paciani à Tilleto, (b) Severi Sulpitii ad Claudiam Sororem altera de *ultimo iudicio*, altera de *Virginitate* á Stephano Baluzio, (c) Auguſtinianae ordine chronologico XXIX, ad Alypium, ad Paulinum XLII, & XLV. à Benedictinis, ad Petrum & Abraham à Godefrido Gottuvicensi Abbate, (d) Luciani à Joanne Ulimerio,

(a) Inter Cyprianicas Edit. Baluz. LXXV. Et *Nota I.* eamdem in Epistol. & Sbaralea adversus Missorium disputans confer.

(b) Lutet. Paris. an. 1539.

(c) *Tom. II. Miscellan.* Edit. Lucensis á Mansio accuratae an. 1761. pag. 1. & seqq.

(d) Viennae Austr. an. 1732. Conf. Mansii *nota*, Nat. Alex. *de S. Aug. eiusque scriptis §. IX.* subiecta.

rio, (a) Valeriani Cemelenensis de *Virtutibus & ordine doctrinae Apostolicae*, multae cum Sidonii, cum Ennodii á Jacobo Sirmondo, (b) multae preterea Ruricii ab Henrico Canisio, (c) nonnullae Leonis á Petro Thoma Cacciario, (d) multae Braulii Caesaraugustani ab Emmanuele Risco (e) in vulgus ederentur; ¿pluriumne illae in manus quam Severiana venerant? ¿Crebriorne de illis, ac de nostra sermo iniectus fuerat? ¿Num tam valida ac istam aegide tutas eas diceres?

§. XXXII. Verum, ne quid ipse dissimulem, aliis Veterum nuper laudatorum lucubrationibus, quas memoravi tam similes, quam, ut in adagio est, aquam aquae, & videri, & esse iam audio. ¿At quorsum hoc? Praeclaré Criticorum Censor Honoratus à S. Maria totidem feré verbis dixit, (f) & luculentissimé uberriméque demonstraverat „Styli „dis-

(a) De qua multis inferius.

(b) Inter ipsorum Ennodii & Ruricii á se vulgata Opera.

(c) *In Thesauro Monumentorum.*

(d) *Tom. II. Oper. SS. huius Pontif.* Edit. Rom. an. 1755.

(e) *Hispan. Sacrae Tom. XXX.*

(f) *Animadvers. in Reg. & usum Critices Tom. I. Dissert. III. art. 6.*

„ dissimilitudo, aut aequalitas non semper via, „ & ratio tuta eſt, ad dicendam de vero alicu- „ ius operis autore ſententiam, praecipué vero „ repetenti memoria incredibilem nonnullorum „ criticorum libertatem, qua ſecundum prae- „ iudicatas opiniones, & privatum iudicium „ de Scriptorum stylo pronuntiant." Quin & Dumesnilius ipse, qui tam bene id nôrat quam puella matrem, „ incertam, imó falsam „ illorum Criticorum regulam esse animad- „ vertit, qui ex sola styli diversitate quaedam „ opera PP. abiudicant, praesertim cum haec „ diversitas ſoepé controversa sit." (a) Ut una praeterea à Severo Baroniana, una á quibusdam mox memoratis Epiſtola data eſt. ¿ Quei igitur deteriore quàm illae conditione isthaec habenda? Ego ſané non capio, non intelligo.

§. XXXIII. Neque illi profectó intellexissent, qui oratione de ea sive ſuscepta, sive iniecta, ne tantillum de eiusdem fide sollicitos ſese indicavere, imó & à noſtris partibus ſtetere. Equidem ipsa res me monet ut plerosque teſtes heic non appellem, sive quód quantum ad aliud inſtitutum erat, tantum dixerint, sive quód vera à falsis vix ſeiunxerint, sive quód non tam in Criticis, Hiſtoricisve,

 quam

(a) Lib. XV. num. 141.

quam Asceticis annumerandi, sive quód commodiore loco producendi sint. Et é Baroniana vestigia prementibus duos tantum producam. Rerum etiam Balearicarum Scriptores, praeter unum Bonaventuram Serram tacebo, qui non unum pro sententia nostra Scriptorem indicavit, & putans meas nugas aliquid futuras, ut scriptiunculam hanc absolverem, meam à me fidem repetere non destitit.

§. XXXIV. Illos dumtaxat judicii nostri praedes sistemus, & ex iisdem nonnullos loquentes inducemus, qui meditati, vel data opera de Baroniana Severi Epistola, sermonem instituére, vel ex eadem argumenta deprompsére, nimirum quos & Dumesnilius à me advocari molesté haud ferret, quoniam in dignoscendis ex Ecclesiastica antiquitate monumentis, omnes feré valebant maximè; atque ideo potissimum sistemus, ut cum ex eorum agendi ratione, cum verbis inter se collatis, quae Dumesnilio non placebant, suis indigna calculis haud duxisse, imó & probasse appareat. Eorum, ut Augustinus dissimili plané in causa loquebatur, (a) „ appende sen„ tentias. Nolo esse plures, ut eas te pigeat „ numerare, imó, sunt tam graves" ut placito

(a) *Lib. II. contra Julianum cap. 10. num. 35.*

cito noſtro validum robur addant. Illas autem feré omnes simpliciter adscribam, ne ſoepenumero *ait*, *dixit*, interponere cogar.

§. XXXV. Agmen ducat Caesar ipse Baronius, è cuius Annalibus multa recitavimus, alia adferemus. E *Notis in Romanum Martyrologium ad diem III. Auguſti* iſta describimus: „Non praeterimus eodem tempore „Honorii Imperatoris, eiusdem Protomartyris reliquias eſſe perlatas in Insulam Minoricam, quarum virtute universa gens Judaeorum, quae Insulam incolebat, ad fidem Chriſti mirandis prodigiis conversa eſt. „Extat de his *insignis* Epiſtola Severi Episcopi Minoricensis, quam manuscriptam nacti ſumus in Bibliotheca Vaticana, cuius fidei, & integritati adſtipulatur Autor Commentarii de Miraculis S. Stephani his verbis: *Epistola quoque* cet. Scripta habetur XV. Kal. „Mart. Asclepiodoto & Martiniano Coss. (a)

§. XXXVI. Henricus Spondanus Apamiensis Praesul, eruditiſſimi Petri de Marca judicio *eruditiſſimus*, *in Baron. Annal. Epitome ad ann. CCCCXVI. num.* 5. „Virtute Stephani exuviarum facta eſt in Minori Balea-

„ri,

(a) Conf. Notam ad Num. Sever. Epist. postremum primam.

„ ri, cum signis, & prodigiis quingentorum &
„ quadraginta Judaeorum, intra octiduum, ad
„ fidem Christi conversio, sicut rem gestam
„ universo Christiano Orbi Severus Episcopus
„ notam fecit litteris suis circularibus. Reci-
„ tat Baronius illas." cet.

§. XXXVII. Antonius Pagius, cuius in Baronii Annales tam egregia sunt merita, ut

Nulla dies unquam memori illa *eximat aevo:*

tantum abfuit, ut in illius de Severi Epistola sententiam virgam censoriam exerceret, ut eam sibi probari *Tom. II. Criticae in* eosdem *Annales ad ann. CCCCXVIII. num.* 70. significarit, é Gothofredo, *in L.* 24. *Cod. Theod. de Judaeis*, ea excerpens, quae propriore in sede recitabimus.

§. XXXVIII. Nicolaus Antonius, cui Hispana litteraria posteritas magnam nusquam referre gratiam poterit, quod falsorum Dextri, Maximi cet. Chronicorum commenta everterit, profligarit, averruncarit, in *Bibliotheca Veteri Hispana Lib. III. cap. II. num.* 50. „Severus
„ Minoricae Hispaniarum Insulae Episcopus,
„ memoriam sui, Judaeorumque eiusdem In-
„ sulae conversionis, nuntiis rei litteris ad om-
„ nes Episcopos totius orbis terrarum anno
„ CCCCXVIII. inscriptis, ad posteros lauda-
„ biliter propagavit::: „ Mox „ Rem totam é
„ Severi Epistola, quae non brevis est, nec

„ per-

,, perfunctorié concepta melius disces. Quam ,, quidem totam é Vaticanis Schedis habitam ,, Baronius Annalibus suis prudentissimé vo- ,, luit insertam. Meminit eiusdem Epistolae ,, Evodius Uzalensis in Africa Episcopus *in li-* ,, *bro I. de Miraculis S. Stephani cap.* 2. ,, (*Num.* 51.) Sed & húc penetravit Pseudo- ,, Dextri praepostera temeritas ; cuius partes ,, fuere Hispanum nomen, quó se cumque ver- ,, teret, iure, vel iniuria, sive illius, sive alio- ,, rum intrudere. Magnum audisis Appollinem: ,, *Innocentius Hispanus ex urbe Carpetanorum* ,, *Ebora metu Gothorum Urbes Hispanas in-* ,, *cendentium, ad Insulam Minoricam, cum* ,, *multis sociis fugiens, convertitur ad fidem,* ,, *quem non multo post sequutus est Theodosius* ,, *Judaeus.* Perpetua nempe Dextri Toletani ,, cura, & consilium fuit atque iniuriosum satis ,, genti nostrae Judaeorum Hispanorum am- ,, pliare, fovereque memoriam, origines ad ex- ,, tremam antiquitatem prorogare, virosque ,, eius gentis posterorum committere monu- ,, mentis. ¿ Sed quis non videt é Severi ipsius ,, his verbis desumpta quae de Innocentio au- ,, divimus: *Duo quidam primarii Judaeorum,* ,, ait, *Meletius Theodori frater, & Innocen-* ,, *tius qui Hispaniarum cladem nuper effugi-* ,, *ens, cum familiis suis ad hanc Insulam ve-* ,, *nerant* : : : *ad unam speluncam, vel potius*

,, *ru-*

,, *rupem convenerunt.* cet. Nihil novi, aut Se-
,, vero indicti, nisi quòd Innocentium ait
,, Eborensem, quem dumtaxat ex Hispania in
,, eam Insulam appulisse Severus nos docue-
,, rat. A cuius relatione discrepat Innocen-
,, tium, antea Theodorum conversum fuisse."

§. XXXIX. Idem Vir praestantissimus hispano in opere, cui titulum fecit *Censura de historias fabulosas lib. VIII. cap. I.* Severianam Epistolam in Baronianos Annales relatam iterum dicit, iterumque Dextrum sic oppugnat: ,, Dice Dextro que el Judio In-
,, nocencio era de la Ciudad de Ebora de la
,, Carpetania. En el año 424. num. 11. *In-*
,, *nocentius Hispanus* cet. Este devió de ser
,, el lugar, que quiso señalar el Padre Higue-
,, ra, (a) y quizâ de Maximo se pasó à Dex-
,, tro; y aun esto fuera menor temeridad, que
,, hacerle de nuevo, à lo menos no se leìa
,, entonces que huviese salido de Ebora (que
,, dicen ser Talavera) Innocencio; pues poco
,, ha vimos referido que salió de Toledo. Al
,, Judio nadie le quiere en casa. Lo cierto,
,, y

(a) Doctum hunc, & emunctae ceterum naris Virum, Dextrini chronici architectum nonnulli faciunt. Sed Aymerichius *Lib. I. P. IV. §. III.* & seqq. consulendus.

,, y que consta de la Epistola del Obispo Severo es, que havia huido de España à aquella Isla Innocencio. Pero Theodoro (que Dextro llama Theodosio) y Melecio, à quien nombró la historia de Toledo, que eran hermanos, no se dice en la carta que fuesen de España: antes se excluie esto con aquellas palabras della (Num. 13.) *Duo quidam primarii Judaeorum Meletius* cet. Y hallo diferencia en que la Carta se escrivió el año 418. poco despues de las Nonas de Febrero, supuesto que pone por data los Consules del año antecedente de esta suerte: *Post consulatum.* cet. : : : Siendo esto asi, Dextro pone la conversion de este Judio en el año 424., de suerte que ni aun mentir sabe su formador."

§. XL. Benedictini è Congregatione S. Mauri, qui in Augustinianorum operum Editione cum diligentiae, cum gloriae laudem plerisque visi sunt attigisse, non tantum Baronianam Severi opellam in *Appendicem Librorum de Civitate Dei* totam transtulére, sed quanta ea cumque est legitimam prorsus sibi videri non uno argumento indicavére. Nullam eidem *Admonitionem*, sed argumentum praemissére, varias lectiones attulére, citari Libro I. *de Mirac. S. Stephani cap. I.* animadvertére, quae Orosium Hispaniae aditu pro-

prohibebat causam *ad num.* 3. ex Baronio retulére.

§. XLI. Edmundus Marteneus, egregius eadem ex Sodalitate Asceta, qui bonam vitae partem in Veterum lucubrationibus requirendis, caſtigandis, illuſtrandis, vulgandis impendit in *de Antiquis Ecclesiae Ritibus Lib. I. cap. I. Artic. VI. num.* 5. ut Cathecumenos *per Crucis signum factos* oſtendat, è Severo (*num.* 12.) iſtud recitat teſtimonium: *Illicò in frontibus eorum signum ſalutis impinximus.*

§. XLII. Sebaſtianus Tillemontius, quem ut verissimé Xaverius Mannhartius (a) dixit: „celebrant non pauci, quod in verbis ſuis „moderatus, in alienis adducendis rectus, in „iudicio cautus, & in animadversionibus ſa„gaciſſimus fuerit," operis Gallici inscripti: *Memoires pour ſervir á l' Hiſtoire Eclesiastique des six premiers siecles Tom. II. Art.* 6. ubi de S. Stephano, nonnulla é Severianae Epiſtolae num. 2., multa e 3, quaedam e 20, & 21. sic excerpit: „On ne doute pas que „ce ne soit lui (Orose), dont Severe Evéque „de l' Isle de Minorque parle, dans sa re-

„lation

(a) *Biblioth. Domest. Tom. X. num.* X. *cap. II. Lib. XIII.*

„ lation faite au mois de Fevrier 418., ou il
„ dit que peu de temps auparavant, & à peu
„ prés dans le méme temps, qu' il avoit été
„ fait Eveque de cette Isle, qui est presque
„ egalement eloignée de la Mauritanie, & de
„ l' Espagne; il y etoit abordé un Prétre de
„ tres grande sainteté, qui venoit de Jerusa-
„ lem, & qui en avoit aporté des reliques de
„ S. Etienne revelées depuis peu de temps,
„ que ce Prétre avoit resolu de les porter
„ en Espagne, mais qu' il n' avoit pu y pas-
„ ser (á cause que les Goths, & les Vandales l'
„ occupoient toute,) & qu' ainsi aprés avoir
„ demeuré quelque temps a Magone (l'une
„ des deux villes de l' Isle, & qui en porte
„ aujourdhui le nom,) il s'en etoit retourné
„ en Afrique, laissant les reliques qu' il por-
„ toit dans l' Eglise de Magone, qui etoit un
„ peu hors de la ville. La suite fit assez ju-
„ ger que cela s' etoit fait par l' inspiration
„ du S. Esprit. Car il y avoit dans cette ville
„ un assez grand nombre de Juifs, & des
„ plus qualifiés du lieu, qui peu de temps aprés
„ se convertirent tous en huit jours, hommes,
„ & femmes, au nombre de 540. personnes,
„ & leur conversion fut acompagneê, d' un
„ grand nombre de miracles, & de prodiges
„ qui marquoient visiblement le doigt de Dieu.
„ Ils comencerent à se convertir le samedi

„ 2. de Feurier en l' an 418.„ Mox „ Se-
„ vere Eveque de l' Isle ecrivit la relation
„ de tout ce qui ſe paſſa alors, & il l' adres-
„ sá a toute l' Eglise. Baronius l' a tirée d'
„ un manuscrit du Vatican & l' a inserée dans
„ ces Annales, oü on la peut voir. „ Poſtea:„
„ La relation de Severe passá bien tot en
„ Afrique, ou S. Evode (celebre entre les
„ amis de S. Aguſtin, & Evêque d' Uzale)
„ la fit lire publiquement dans son Eglise, le
„ jour même, qu' il y reçut ſolemnellement
„ des reliques de S. Etienne, & elle y fut
„ ecoutée avec beaucoup de devotion."

§. XLIII. Eadem in Eccleſiaſtica ad usque Apoſtolorum mortem Hispana Hiſtoria, Jesu Chriſti vitae á Montrevilio ex Evangeliis concinnatae, adiecta *Tom. VI. P. 6. art. 5.* legere eſt.

§. XLIV. Claudius Fleurius Scriptor nobiliſſimus *Hiſtoire Eccleſiaſtique Liv. XXIV.*
„ Aprés quelque ſejour en Afrique, Orose,
„ s' embarqua pour paſſer en Espagne, mais
„ il ne put y aborder aparemment à cause des
„ ravages des Goths. Il s' arreta quelque temps
„ dans l' Isle de Minorque en la ville de
„ Magone, aujourdhui Mahon, celebre par
„ son port, & il deposa les reliques de S.
„ Etienne, dont il étoit chargé, dans une
„ eglise qui etoit près de la ville, étant ré-

„ solu

„ solu de s' en retourner en Afrique." Mox é Severi num. 3. 4. 5. 2. nonnulla siſtit. E num. 8. Theodori ſomnium eiusdem verbis recitat, totum feré 9. exscribit. Multa é 10. 11. 12. quaedam é 15. 16. 19. 20. 21. Tandem „ L' Eveque Severe ecrivit ce grand eve-
„ nement dans una lettre, qu' il adressà á tous
„ les Eveques, les Prétres, les Diacres, & les
„ fideles de tout le monde, & qui s' eſt con-
„ servée jusqu' á present. Cette lettre fut ap-
„ portée en Afrique à Uzale." cet. cet.

§. XLV. Qui Fleurii Hiſtoriae Breviarium Gallice edidit, & cui à sinceritate, praeclara Hiſtorici dote, à Benedicto XIV. laudari decorum fuit, Franciscus Morenas, *ad annum Chr. CCCCXVIII. Tom. II. pag.* 142. quorumdam é Fleurio descriptorum ſummam dedit, Severiana omnia ſe probare indicavit.

§. XLVI. Anonymus, quem Bonaventuturam Racinium eſſe ſuspicor, *Abregé de L' Hiſtoire Ecclesiaſt. Tom. II. art.* 12. „ Il
„ y eut l'an 418. cinqcens quarante juifs, qui
„ ſe convertirent, qui voulurent batir une
„ eglise de leurs propres mains, & qui fi-
„ rent paroitre beaucoup de zele pour la re-
„ ligion chretienne. Ces conversions ſe firent
„ en huit jours dans l' isle de Minorque, &
„ ce fut la presence des reliques de S. Eti-
„ enne qui excita les chretiens á y travailler.

„ Il

„ Il eſt remarcable que Dieu opera ces con-
„ versions si merveilleuses dans le temps que
„ les Pelagiens entreprenoient de disputer à
„ Dieu l' émpire ſouverain , qu' il exerce sur
„ les volontés des hommes, & qu' ils emplo-
„ iént toutes ſortes d' artifices , pour intro-
„ duire parmi les chretiens l' erreur des juifs
„ sur l' origine de la juſtice. L' Eveque Se-
„ veré écrivit ce grand evenement a tous les
„ Eveques, & les fideles de tout le monde
„ par une lettre circulaire qui s' eſt conser-
„ veé jusqu' à présent."

§. XLVII. Casimirus Oudinus , Scriptorum Eccleſiaſticorum accuratus ſaepè Nomenclator in *Commentario* de iisdem *Tom. II. Sect. V.* „ Severus Balearis Insulae minoris
„ Episcopus ::: ſcripsit ::: anno CCCCXVIII,
„ ut recté Baronius habet in Annalibus, Epis-
„ tolam circularem ad Ecclesias omnes de
„ conversione Judaeorum in ea Insula, & de
„ miraculis ibidem factis , ad S. Stephani re-
„ liquias.

§. XLVIII. Vincentius Cardinalis Gottius, praeclarus é B. Thomae magna schola Theologus, & critici laude non fraudandus in *de Veritate Relig. Christ*. Tract. V. cap. I. num. 12. §. 11. inter ea monumenta : „ quae Deus
„ miracula ad interceſſionem Protomartyris
„ Stephani, ad praesentiam reliquiarum eius,

ope-

operatus fuit." Severi Nostratis epistolam laudat. „ Legant haec (adiicit) Protestantes, & con„ tra Sanctorum intercessionem, & reliquia„ rum venerationem oblatrare desinant."

§. XLIX. Michael á S. Josepho, é Trinitariorum Excalceatorum Summo Praeside, Guadicensis Episcopus, qui criticen apud Hispanos maiore fortassis successu, quam ardore excoluit, *Bibliographiae Criticae* Tom IV. „ Se„ verus Minoricensis Insulae Episcopus anno „ secundo Pontificatus Zosimi litteras dedit „ circulares de conversione Judaeorum illius „ insulae per praesentiam reliquiarum S. Ste„ phani."

§. L. Similia eadem de Epistola eximius memoria nostra Bibliographus Ludovicus Richardius Sacri Praedicat. Ordinis Theologus, qui & de S. Stephani miraculis narrationem aliam litteris á Severo consignatam indicat.

§. LI. Josephus Augustinus Ursius Purpuratorum Patrum splendor, & Ecclesiasticos inter historicos nulli fortassis secundus, quem fidus ipsius Interpres Julianus Sainzius hispané sic vertit *Hist. Eccles. Lib. XXVI. num.* 30. „ Otros celebres sucesos han hecho me„ morable el presente año (418.) en la His„ toria. Entre estos debe tener el primer lu„ gar la conversion de los Judios de la Isla „ de Minorca de las tinieblas del Judaismo

„ à

„ á la luz del Evangelio. Severo, que era
„ ſu Obispo, la publicó por todo el mundo
„ en una Carta que dirigiò à todas las Igle-
„ sias del Universo. Por eſta ſabemos, que
„ la conversion de aquella gente fue fruto de
„ los muchos milagros, que obró el divino po-
„ der, por la interceſſion del S. Protomar-
„ tyr Eſtevan, cuyas reliquias::: ſe depusie-
„ ron en una Iglesia de la Ciudad de Mahon."

§. LII. Henricus Florezius, cuius nomen eſt immortale, in opere *España Sagrada Tom. XV. Trat. 55. Cap. ult. num. 63.* „ De
„ Africa ſalió Orosio para España, en el fin
„ del 417., ó por Enero del siguiente: es-
„ pecie que no veo explicada en los Auto-
„ res; pero que parece resulta de la car-
„ ta de Severo Obispo de Puerto Ma-
„ hon, escrita ſobre los milagros, que obró
„ Dios por las reliquias de S. Eſtevan, co-
„ locadas por Orosio en la Iglesia de Mahon
„ que eſtá fuera de la ciudad como ſe lee
„ allì num. 3. y 15. Dice pues Severo, que
„ un Presbytero de particular ſantidad, vi-
„ niendo de Jerusalen, ſe detuvo algo en
„ Mahon; y no pudiendo pasar à España,
„ como deseaba, determinò bolver nueva-
„ mente à Africa. Entonces dejó en Mahon
„ las reliquias poco antes reveladas de S. Es-
„ tevan, por inspiracion, sin duda, del mis-

„ mo

„ mo Santo, pues el intento de Orosio era „ llevarlas à España, y el efecto aseguró que „ el cielo queria colocarlas en Mahon; por- „ que al punto (*protinus*) se encendiò el „ zelo de la fe en los christianos, y empe- „ zò una competencia tan feliz contra los Ju- „ dios, que en espacio de ocho dias se agre- „ garon à la Iglesia quinientas y quarenta al- „ mas, atravesandose muchas maravillas. De „ aqui resulta el viage de Orosio para Espa- „ ña desde Africa al fin del 417."

§. LIII. Beraultius Bercastelius Noviodunensis Canonicus, nitidus, diligensque aetatis nostrae Scriptor *Extrait de l' Histoire Ecclesiast. Tom. IV. pag.* 341., *& seqq.* nonnulla e Severianae opellae num. 3., multa é 4., pauca de *visionibus*, quas exitu comprobatas ait, plurima è num. 9., multa rursus é num. 10., 11., 12., quaedam é 15., & 20., totos fere 17., & 19. numeros recitat. Demum „ L' Eveque Severe, fit le rapport de cet „ heureux evenement dans une lettre, qu' il „ adressá au Clergé, & aux fideles de tout „ l' univers, & qui s' est conservée jusqu' „ á nous."

§. LIV. At ne hilum quidem, aut parum nos hucusque profecisse, non tali auxilio, nec defensoribus istis causam egere nostram nonnulli dicent. Criticas illi regulas desiderant.

Age

Age ergo, eiusmodi regulas adhibeamus. Nam tametsi de earum vi, & poteſtate, crebrae adeo acerrimaeque agantur lites, ut ipsarum latores, Terentiano illo haud iniuria, assiduó compellare poſſes:

Feciſtis probé incertior ſum cet. quandoquidem quò res eſſet perventura eminus agnoveram, pedem haud referam, unde pudor, lex que operis vetat; &, ni mea me opinio fallat, è pluribus id genus canonibus, quam Dumesnilianae positioni, meae accedet robur.

§. LV. Uberem eorum ſementem ex Mabillonio, (a) Honorato, (b) Amortio, (c) Michaele à S. Josepho (d) aliis facere, facillimoque ad rem noſtram opere accomodare poſſem. Paucas nihilhominus, ſed quae tamen ſatis sint, usurpabo.

§. LVI. Primam Couſtantius (e) roget „ Relictos à maioribus noſtris libros tamdiu „ pro genuinis, pro integris, pro certis ipsorum „ foetibus haberi decet, quamdiu non cons- „ tat ſpurios eſſe, adulteratos, aut incertos."

¿ Ec-

(a) *Tract. de Stud. Monastic. P. II.*

(b) *In Laud. Oper. Tom. I.*

(c) *In Princip. Artis Criticae explicat.* cet.

(d) *In Crisi de Critices Arte.*

(e) *Vindic. Veter. Codicum P. VI. cap. I.*

¿ Ecquis autem Severianam opellam interpolatrice manu violatam extra dubitationis aleam ponet ? Dumesnilius certé non ponit.

§. LVII. Alteram Honoratus ferat : (a) „ Quamquam hiſtorici ſcripto tradiderint even„ ta paucis nota : quamquam haec á commu„ ni paululum ordine abhorrere videantur, „ adiunctis affecta sint non omninó incredi„ bilibus, atque in provinciis remotis acta fue„ rint ; non tamen amandanda ſunt, prae„ terquam firmis, non dicam rationibus, ſed „ invictis argumentis ſuadentibus." Cum illiusmodi Severianis litteris prodita sint: ¿ quêi ceu ambiguae fidei traducenda ?

§. LVIII. Accedant à Mabillonio rogatae (b) „ quatuor, inquit ille, viae ſunt ut ope„ ris alicuius falsitatem (dicam ipse *emblema*„ *ta*) dignoscantur : 1. M. SS. 2. dictionis „ consensio aut discrepantia. 3. Teſtimonium „ Autorum qui de illo opere meminerunt. „ 4. facta in eodem allata." Jam vero ¿ è quonam ex his capite hodiernam Severi Epistolam interpolatam efficies ? E quonam haud interpolatam eſſe non colliges ?

§. LIX. Vult praeterea, iubetque Abra-

 hamus

(a) *Tom. I. Dissertat. VII. art. 9. §. I.*
(b) *De Stud. Monastic. P. II. cap.* 13.

hamus Scultetus, (a) cui, si Honorato fides, omnes feré critici hac in re aſſentientur, (b) ut „ legitima Veterum ſcripta, ſtylus, mate„ ria ſubiecta, tempus, à ſuppoſitis" (quidni & ab interpolatis?) „ diſtinguant" Atqui Severianae lucubratiunculae ad aetatem quod attinet, nihil nobis negotii Dumesnilius, nihil alius quisquam faceſſit. Tametsi cum de materia ſubiecta, cum de ſtylo longior à me oratio inferius ſuscipienda sit, eiusdem argumentum é Severo aequali recitavi, eamque totam doctrinae, inſtitutis, ritibus in Ecclesia Sec. V. vigentibus mirificé consentaneam, & verborum, quibus haec continentur ſtructuram, quin & verba ipsa medio ecclesiaſtico é coelo deſſumpta eſſe, aſſiduó animadvertam.

§. LX. Non inficias ivero idem Baronianae Severi Epiſtolae, quod aliis, cuius cuius illae generis sint, lucubrationibus usu venire ſolet, contigiſſe, eius nimirum exempla viciſſim discrepare. Verum praeterquam quòd nullo ex tot fontibus, é quibus M. SS. Codicum vitia frequentiſſima emanant, (c) eamdem

---

(a) *In Aphorism. de fructuosa PP. lectione.*

(b) *Tom. I. Dissert. III. artic.* 7.

(c) Conf. Illustrissimi Viri Francisci Perezii Baierii Optimi Regis nostri Caroli III. Bibliothecae Praefecti domesticorum, exterorumque elogio celeberrima

dem commaculatam esse conficies; pauca si demas, queis haud illi offenderentur, quibus litteratos inter locus est, perpetuó feré secum ipsa consentiunt, non dicam tantum quod ad rei summam, sed & quod ad rei adiuncta, & quod ad verba pertinet, quemadmodum cum ex Ecclesiasticorum Annalium Conditore, cum é Benedictinis é S. Mauri Sodalitate varias opellae eiusdem lectiones referentibus, colligere pronum est.

§. LXI. Idem praeterea duo Severianae lucubratiunculae, ex Apostolica Bibliotheca exempla confirmarent, quorum alterum Baronius ipse fortassis vidit, (a) ex altero ni me omnia fallant, meum de ipsa iudicium novas vires capiet. Sesquimillenariae enim, plus minus, antiquitatis robore, quod postremo loco commemoravi exemplum muniri nullus ambigo. (b) ¿Quotus autem quisque erit, qui tam

rima *Dissertatio* Romanis typis anno 1756. edita inscripta: *Damasus, & Laurentius Hispanis asserti, & vindicati P. I. cap. III.*

(a) *Vaticanum* simpliciter á me dicendum, quód é Vaticano Codice num. 1188. descriptum sit.

(b) Illius apographi ad calcem isthaec legas „ Ego infrascriptus Praefectus Bibliothecae Vatica- „ nae fidem facio, atque testor suprascriptam co- „ piam fideliter extractam fuisse ex Codice M S. Vati- „ cano

tam diuturnam, atque ab hominum memoria remotissimam possessionem, eodem fermé pacto, quo Hispanorum de Laurentii Patria persuasionem Perezius asserebat (a) RETINENDAE, quod vocant INTERDICTO, per Litterarium Praetorem adiuvandam, atque ADVERSUS EAM VIM FIERI VETANDUM non speret?

§. LXII. Tandem: ¿Eccur & plenas & bene multas Severi Baroniani periodos tamquam legitimas Dumesnilius hoc modo probat: „Orosius::: Magonam::: ingressus S. „Stephani reliquias in eius Ecclesia deposuit. „Earum occasione pugnae Religionis Christianos inter, & Judaeos, in omnibus plateis, & domibus gerebantur. Interea Severus Insulae Episcopus, ex vicina Civitate „Jamnonensi, Magonem pervenit, qui ubi „cognovit Judaeos omnia telorum genera contulisse ad Synagogam, sequente magna fi-

„de-

„cano-Palatino sub numero 856. p. 1. seculo circiter undecimo exarato, integro, in nullo neque „interpolato, neque vitiato, licet appareant aliquae correctiones. In quorum fidem cet. Dat. ex „Bibliotheca Vaticana die 24. Junii 1779.= Stephanus Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameens. „Bibliothecae Vaticanae Praefectus."= (L. S.)

(a) *In Laud. Dissertat. clausula.*

„ delium multitudine, eam occupat, iniectoque „ igne cum omnibus ſuis ornamentis, excep- „ tis libris, & argento, consumpta eſt; argen- „ tum poſtea ipsis reddidére Chriſtiani. Ju- „ daeorum quingentae quadraginta animae, „ cum Theodoro Synagogae Principe, intra „ octiduum profeſſae ſunt chriſtianam Reli- „ gionem." ¿ Eccur inquam, *haec pauca* ut ipse quidem loquitur, ex Epiſtola, *quam interpolatam putat plurimis factis, extraordinariis, & mirabilibus inter ſe malé consutis delibat*, alia non pluris facit quam aurum comicum?

§. LXIII. Multa ſe in numerato habere é veſtigio reponit. Iniuria enim Catullianum illud diſtichon eidem occineres:

Non iſtoc satis eſt uno te dicere verbo
Sed facere, ut quivis ſentiat & videat.

Ut iudicii ſui aequitatem & ſentirent omnes & viderent sic primûm Severi opellam adoritur: „ Chriſtiani ad disputationem pro- „ vocant Judaeos, numero ſuperiores, qui „ parant arma, adveniente tamen Severo „ factum negant & tranquillé cum chriſtianis „ cantantes psalmos ad Synagogam pergunt, „ ubi latebant arma."

§. LXIV. Equidem, quod Dumesnilius expendat oro, Magonem priusquam Severus perveniret *in omnibus plateis*, ut ipse tes-

tis

tis eſt luculentiſſimus, (a) *adverſus Judaeos pugnae legis, in omnibus domibus fidei praelia gerebantur.* Sed á noſtris ne, an à Judaeis de certamine, cui *diem* utrique *condixere,* (b) consilium primò ſusceptum fuerit, ne indicat quidem. Illud conceptis verbis narrat (c) „ ſe „ expetiiſſe ut ſe ad Synagogam ::: operirentur ::: futurum autem honeſtiſſimum de lege „ conflictum, " quo vel ipse unus cum Judaeo aliquo, doctrina, diſſerendique vi pollente signa collaturus, vel si mavis, nonnulli ex utraque parte in arenam descensuri erant, qui causae ſuae patrocinio ſuscipiendo, idonei haberentur. Fac tamen quod Dumesnilio placuit, Judaeos à noſtris hominibus in aciem prodire coactos. Non decertantium numerus, ſed argumentorum pondus de pugnae exitu ſtatuere debebat, quem fauſtum ſané sibi, fortunatumque futurum fore ſperare poterant, qui numero tametsi exiguo, *virtute Sancti Spiritus muniti,* (d) qui *veritatis robore ſuperiores* erant, (e) qui *veritatem, quae vinci*

(a) *Num.* 3.
(b) *Num.* 4.
(c) *Num.* 9.
(d) *Num.* 5.
(e) *Num.* 4.

ei non poteſt ſectabantur. (a)

§. LXV. Scimus, & libenter Dumesnilio damus, cum Judaei (b) „ ſaxa, ſudes, iacu- „ la, omniaque telorum genera ad Synago- „ gam conferre coepiſſent, ut chriſtianorum „ aciem::: propulsarent," ſe talia ausos perfracté negaviſſe. Sed à Viro ſapientiſſimo viciſſim petam ut animadvertat, iis, qui culpam, cuius conscientia agitantur, à ſe amoliri enituntur, ad ſplendidiſſima mendacia confugere haud insolens eſſe, quin & noſtris, cum id genus natione rem fuiſſe, ac si ſpectra ubique videat pavida; neque mirum cui cui fortaſſis accidet, graviſſima illam Severi oratione perterritam, nihil ſe in publicam quietem egisse, nihil molitam eſſe, *etiam cum iure iurando* (c) inficiatam. Profectó, si quod non ſemel Roma, Athenae, urbes aliae florentissimae videre:

::::::::: cum ::: coorta est
„ Seditio, saevitque animis ignobile vulgus
„ Jamque faces,& saxa volant, furor arma ministrat;
„ Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
„ Conspexere, silent, arrectisque auribus astant.
„ Ille regit dictis animos, & pectora mulcet;" (d)

Si

(a) *Num.* 14.
(b) *Num.* 5.
(c) *Num.* 9.
(d) *Aeneid. Lib. I.* vers. 152. & seqq.

Si ut ab ipso Severo accepimus: (a) Theodorus cujus Magonensis *populus autoritate, & potentia* maximé *nitebatur, autoritate ſua multos* iam iam in arma ruituros *terruit*, & contentionis erumpentis incendium nonnihil repreſſit; ¿quidni & Hebraei cum non tantum à pietate gravem, verum etiam à Sacerdotio, cui vel ab infensiſſimis religionis noſtrae hoſtibus honos habebatur, (*) virum illuſtriſſimum conspicerent, & cum de iniuria, tum noſtris hominibus, tum quod caput eſt, Romanis legibus irrogata aequiſſimé ſecum expoſtu lantem audirent, fasces veritati ſubmitterent, in officio continerentur, *tranquillè cum chriſtianis cantantes psalmos, ad Synagogam pergerent?*

§. LXVI. Alterum Dumesnilius telum iacit: „Mulierculae tantam (chriſtianorum) „multitudinem lapidibus laceſſunt, noſtri iisdem armis Judaeos invadunt, licet lateribus ſuis inhaerentes. In tanta lapidum grandine, ne unus quidem leviter attingitur, „nulloque prohibente, cum tota ſupellectili, „Synagogam flammis ſuccendunt chriſtiani."

Sed

(a) *Num.* 4.

(*) *Si vis*, aiebat, apud ipsum Severum (*n.* 12.) Theodoro Rubenus: *honoratus esse* ::: *in Christum crede. Modó tu stas, & ego cum Episcopis sedeo.* cet.

Sed & Severus *mirum dictu*, ait, (a) „ cum ſuper confertiſſimam multitudinem lapides immaniſſimi â Judaeis foeminis iactati, grandinis inſtar, deſcenderent, neminem noſtrorum non ſolum ictu, ſed ne quidem tactu vexatum. „ Hic (ſubiungens) agnis ſuis leo „ ille terribilis manſuetudinem paululum abs- „ tulit: omnes siquidem ::: ſaxa corripiunt & „ ::: cum unum potius consilium cunctis ze- „ lus potius Chriſti, quam ira ſuggereret, lu- „ pos cornibus impetendos cenſuerunt, quam- „ vis hoc illius qui ſolus bonus paſtor eſt nutu „ factum eſſe, nulli dubium sit." Pergit „ ſer- „ vus cuiusdam chriſtiani ſolus de Synagoga „ aliquid diripere concupiscit, ::: quidam ve- „ ro noſtrorum quasi adverſus Judaeum la- „ pidem iniecit, qui capiti eius illisus eſt, ::: „ quod vulnus periculosum fuit. „ Subinde: " poſtquam, Judaeis cadentibus Synagoga potiti „ ſumus," eademque paulo poſt everſa „ cunc- „ tis ſtupentibus ad Eccleſiam cum hymnis „ perreximus, autori victoriae noſtrae gratias „ referentes." Hactenus Severus, cui haec omnia *Dei digito* apparata, ſuſcepta, confecta nulli addubitanti, ¿ eccur non credamus? Viri ſané graviſſimi credidere. Sic parvulo labore

H

(a) *Num.* 10.

bore ſecundum Dumesnilii iaculum Severus ipse mihi videtur excuſſiſſe.

§. LXVII. Urget tamen nos rursus Ludovicus: „Judaei frequentes baptismum ſuscipiunt, nulla praemiſſa inſtructione, illiusque eventus nulla ratio redditur, nisi quaedam visiones ambiguae." Sed ¿ undenam, bona Dumesnilii venia dicam, Magonenses Hebraeos Baptismo, nulla praemiſſa inſtructione, mundatos exculpes? Sin omnes, plerosque ſaltem inter cathecumenos aliquantulum temporis versatos, praeter Edmundum Marteneum, (a) Fleurius, (b) Beraultius Bechaſtelius (c) litteris prodidere, quin & Severus ipse (d) „advenientes (ait) ad „Chriſti fidem Judaeos vel *exhortamur* vel „annotamus." Totum certé, quantumcumque erat, cathecumenatus ſtadium Hebraeis nostratibus haud decursum; imó multa in ipsorum gratiam de legum eccleſiaſticarum ſeveritate remiſſa fuiſſe non negamus: faciliore illi opera quam Gentiles chriſtiana doctrina imbui, & à plerisque quidem poterant. Multae praeterea causae concurrebant, quae facilem

(a) *Loco laudato.*
(b) *Loco laudato.*
(c) *Loco laudato.*
(d) *Num.* 15.

cilem ſe illis praebere Antiſtitem Noſtratem iure exposcerent. Longa apud ipsum hac de re oratio, nos ſumma earum faſtigia ex ordine, & Severi aſſiduó verbis persequemur.

§. LXVIII. Rubenus, in perfidia á ſe nuper eiurata oppugnanda, chriſtianis ſocium ſe adiungit. (a) Triduum, ni fallor, longa prece tractum, ut Judaei ſuperſtitioni nuntium remitterent ſuae. (b) Theodorum ad Ecclesiam migraſſe omnium animis ſententia insederat. (c) Et ipse, cum ſe, cum Hebaeos reliquos nomen daturos Chriſto, fidem obſtrinxerat. (d) ¿Ecquis autem quantum haec omnia valeant, cogitatione illicó non comprehendat? ¿Ecquis Severo etiam non aſſentiatur unumquemque illorum, „qui ad „ſylvas, & antra confugerant propriam con„versionis ſuae habere hiſtoriam" affirmanti, (e) *& unum Chriſti miraculum*, Meletio & Innocentio ad bonam mentem revocandis narranti? (f) „Cum Theodorus: :: plebem „ſuam

---

(a) *Num.* 11.
(b) *Num.* 11.
(c) Ibidem.
(d) *Num.* 12.
(e) Ibidem.
(f) *Num.* 13.

„ suam::: ad fidem Christi provocare dispo-
„ neret, (a) nemo (Judaeorum) fermé erat
„ qui non se palam sensisse Christi potentiam
„ contestaretur ::: Ipsius Theodori consobri-
„ nus nomine Galilaeus::: ego, inquit, vitae
„ meae periculo consulens, ad Ecclesiam iam
„ pergam, ut necem, quae mihi paratur ef-
„ fugiam. Haec Galilaeus, cum ad tempus
„ fugae se pararet, quasi ut causas conver-
„ sionis suae reddidisse videretur, de futuri
„ saeculi morte tunc nihil cogitans, verita-
„ tem inscius loquebatur. Huic sermoni pené
„ praeteriens ::: defensor civitatis tunc elec-
„ tus Caecilianus::: adstipulatus est. Caecilia-
„ nus autem, cum esset Judaeorum pater, ha-
„ bito cum Florino ::: Judaeorum patre con-
„ silio :::: huiusmodi verbis ::: Synagogam
„ adorsus est: Ego cum sim in honore Sy-
„ nagogae post Theodorum primus::: cunc-
„ tos commoneo::: ut ::: omnes pariter ad fi-
„ dem ecclesiasticam concurramus ::: num-
„ quam, (addidit) Theodorum á christianis
„ vincendum, nisi veritatem, quae vinci non
„ potest sectarentur::: Multosque Judaeorum
„ eadem die ad fidem Christi cum ipso con-
„ currentes," Praesul noster suscepit. (b)
„ Cum

(a) *Num.* 14. (b) *Num.* 14.

„ Cum summa omnium expectatio ut Theo-„ dorus sponsioni suae satisfaceret (a) ad-„ moneret : :: iustisque ille allegationibus cunc-„ torum vota crederet differenda : : : Chris-„ tianis iam adquiescentibus , Judaeis , qui „ conversi fuerant , acerrima commotione re-„ sistentibus , amputata dilationis mora" ad Christianam religionem convolavit. „ Post „ quem omnis , tamquam remoto obice, ad „ Ecclesiam Synagoga confluxit : mirum dic-„ tu ! inveterati illi legis doctores : : : tantum „ percunctati ¿ an vellent fidem Christi , sus-„ cipere ? credere se in Christo , & christia-„ nos fieri cupere profitebantur." Haec , cui penitus perspectum , quanta eorum , qui reliquos supereminent exemplis vis insit , animo si advertat , mirari fortassis desinet quam *pater* ipse *patrum* (b) monstrabat viam citissimé juxta, ac libentissimé ingressos , cathecumenatus disciplinae adamussim obeundae onere exemptos.

§. LXIX. „ Tres tantum foeminas , sed „ nobilissimas Judaeorum (c) ad virtutis suae „ gloriam dilatandam in duritie perfidiae suae „ Chris-

---

(a) *Num.* 16.
(b) *Num.* 4.
(c) *Num.* 17.

„ Christus permanere aliquantulum passus est,
„ Arthemisiam Meletii uxorem, Innocentii so-
„ rorem coniugis, (a) eiusdemque Innocen-
„ tii uxorem, quae per quatuor dies verbum
„ salutis : : : obduratis auribus recipiebat. Sed
„ Arthemisia, quód aquam, qua per biduum
„ usa fuerat, in mellis suavissimi versam dul-
„ cedinem repererit, amaritudinem incredu-
„ litatis abiicere : : : compulsa est. (b) Al-
„ tera de pelago reducta : : : fidei nostrae auxi-
„ lium cum lacrymis deprecabatur, & volun-
„ tatem Dei : : : implevit. (c) Innocentii uxor
„ : : : cum nullis coniugis vel minis, vel pre-
„ cibus, vel lacrymis moveri posset : : : uni-
„ versa fraternitatis multitudo : : : convenit,
„ precesque : : : ad coelestem misericordiam
„ vertit : : : & cum in consummatione oratio-
„ nis Amen populus acclamasset, & illa cre-
„ dere se, & christianam fieri velle sub-
„ iunxit." (d)

§. LXX. Haec Severi oculis, animoque cum obversata sint, piis illis, statisque Cathecumenorum exercitationibus, laboribus, ve-

xatio-

(a) *Num.* 18.
(b) *Num.* 17.
(c) *Num.* 19.
(d) *Num.* 18.

xationibus, fletibus, (a) Magonenses Judaeos abs ſe ſolvendos credidit. Nôrat enim ipse, & probe nôrat, ut in poenitentia publica, sic in Baptismo, ut loqui amamus, ſolemni, rem feré totam ad praefectorum arbitrium, prudentiamque commiſſam eſſe. (b) Praeclaré à Gregorio Nazianzeno (c) dictum fuerat: „ omni aetati, omni vitae formae, omnibus „ hominibus baptismum convenire," & longé ante à Tertulliano, (d) tametsi ſacri lavacri cunctationem ipse probaret (e) „ omnem „ diem Domini eſſe, omnem horam, omne „ tempus habile Baptismo, si de ſolemnita- „ te interest, de gratia nihil refert." Itaque, sicut quoties feſtinata reconciliatio, diuturnae ex-

(a) De his Tertullianus *cit.* nuper *libro cap.* 20., Cyrillus Jerosolymitanus *Praefat. in Cathech.*, & *Cathech.*, *I.*, Autor *Tractatus*, sive *Serm.* inter Augustinianos *de Symbolo ad Cathecumen.* consulendi. Pro cunctis Gregorium Nazianzenum *Orat. in S. Lavacrum* produco, baptismi candidatum, sive Cathecumenum ita alloquentem: „ Bona tibi erunt auxi- „ lia ad ea quae desideras consequenda vigiliae, ie- „ iunia, humidormitio, orationes, lacrymae, erum- „ nae, indigentium opitulatio."

(b) Non repugnat Dumesnilius *Lib. X. num.* 57.

(c) *Orat. XL. in S. Baptismum.*

(d) *Lib. de Baptismo cap.* 19.

(e) *Eodem lib. cap.* 18.

expiationi praestabat, Ecclesiarum Moderatores in poenitentium ordinem redactos nuper, in fidelium communionem recipiebant, quia „ misericordiae Dei, nec mensuras possumus „ ponere, nec tempora definire, apud quem „ nullas patitur moras vera conversio;" (a) & ubi legitimae exceptioni locum esse intelligebant, quae Canonum aequitate, & ipsius quodammodo naturae iure vim haberet suam, Baptismi candidatis facillimos sese exhibere nulli addubitabant.

§. LXXI. Multa hanc in rem exempla Morinus,(b) Marteneus, (c) alii conglobarunt. Ego quod ex dubiae fidei Opusculo, (d) quod ex Athanasio supposita Oratione, (e) quod é Cypriani Actis, (f) plura item, quae sequiore é memoria proferre mihi liceret, praetermitto. Omnia tamen tacitus praeterire nullo modo possum. Plerisque ex Agrigentinis Judaeis Christo nomen dare cogitantibus,

(a) S. Leo *in cap.* 49. §. 2. *de Poenit. dist.* 1.

(b) *De disciplina á PP. observata in Cathecumenorum expiatione* cet. *cap. VIII.*

(c) *De Antiq. Eccl. Ritibus lib. I. artic.* 8. *num.* 3.

(d) *Vitis* nimirum *SS. Anthimi, & Socior. & S. Pancratii.*

(e) In Concil. Nicaeni *II. Act.* 4. laudata.

(f) Apud Marteneum *Tom. II. Anecdotorum.*

bus, Gregorius Rom. Pontifex ad Faustinum Defensorem (a) sic scripsit: „ Si longum, vel „ triste videtur solemnitatem sustinere Pas„ chalem, & eos nunc ad Baptismum festi„ nare cognoscis; ne, quod absit, longa di„ latio eorum possit retró animos revocare, „ cum fratre nostro Episcopo loci ipsius lo„ quere, ut poenitentia, ac abstinentia qua„ draginta diebus indicta, aut die dominico, „ aut si celeberrima festivitas fortassè occur„ rerit, eos, omnipotentis Dei misericordia „ protegente, baptizet" cet. Mitiorem se Atticus CPolitanus Antistes erga Judaeum alium se praebuit, ut Socrates autor est, (b) á quo etiam, (c) & à Nicephoro (d) accepimus Haebreum alium „ cum à Paulo Epis„ copo audivisset, se non prius Baptismum illi „ daturum, quam sit fidei articulis institutus, „ diesque complures ieiunio vacaverit:: , ille „ acriter instare ut baptismo donaretur. Pau„ lus, quoniam illum tam obnixé petentem „ mora nolebat offendere, parat res ad bap„ tismum necessarias." cet. Accedat Gregorii

I Tu-

(a) *Lib. VII. Epist. XXIV.*
(b) *Lib. VII. cap.* 4.
(c) *Lib. VII. cap.* 17.
(d) *Lib. XIV. cap.* 17.

Turonensis Praesulis narratio, (a) Severianae in multis adeó similis, ut eam ſyllabatim describere ad rem meam perquam mihi accomodatum videatur. „ Cum Arvernenses
„ Judaeos beatus Avitus, eiusdem Urbis Epis-
„ copus, commoneret, ut relicto velamine
„ legis Mosaicae, ſpiritualiter lecta intellige-
„ rent, & Chriſtum Filium viventis Dei, pro-
„ phetica, & legali autoritate promiſſum, cor-
„ de puriſſimo in ſacris litteris contemplaren-
„ tur; manebat in pectoribus eorum, iam
„ non dicam velamen illud, quo facies Moysi
„ obumbrabatur, ſed paries. Sacerdote quo-
„ que orante, ut conversi ad Dominum ve-
„ lamen ab eis litterae rumperetur, quidam
„ ex eis, ad ſanctum Pascha, ut baptizare-
„ tur expetiit, renatusque Deo per baptismi
„ ſacramentum, cum albatis reliquis & ipse
„ procedit. Ingredientibus autem populis por-
„ tas civitatis, unus Judaeorum ſuper caput
„ conversi Judaei, oleum foetidum, diabolo
„ inſtigante diffudit. Quod cum cunctus ab-
„ horrens populus voluiſſet eum urgere lapi-
„ dibus, Pontifex ut fieret non permiſſit. Die
„ beato, quo Dominus ad coelos poſt re-
„ demp-

(a) *Histor. Francorum lib. V. cap.* 11. Et á Dumesnilio *lib. XXIX. num.* 20. illius summa data est.

„ demptum hominem ascendit, gloriosus cum „ Sacerdos de Ecclesia ad basilicam psallen- „ do procederet: irruit ſuper Synagogam Ju- „ daeorum multitudo tota ſequentium, des- „ truens eam à fundamentis, ut campi pla- „ nitiei locus aſſimilaretur. Alia autem die, „ Sacerdos eis legatos mittit dicens: Vi ego „ vos confiteri Dei filium non impello, ſed „ tamen praedico, & ſalem ſcientiae veſtris „ pectoribus trado: paſtor ſum enim domini- „ cis ovibus ſuperpoſitus, & de vobis ille ve- „ rus paſtor, qui pro nobis paſſus eſt, dixit: „ ſe habere alias oves, quae non ſunt ex ovili „ ſuo, (*Joan. X. v.* 16.) quas eum oporteat ad- „ ducere, ut fiat unus grex, & unus paſtor. „ Ideo si vultis credere ut ego, eſtote unus „ grex, cuſtode me poſito: sin vero aliud, „ abscedite à loco. Illi autem diu aeſtuantes at- „ que dubitantes, tertia die (ut credo) ob- „ tentu Pontificis, coniuncti in unum, ad eum „ mandata remittunt, dicentes: Credimus Je- „ sum filium Dei nobis Prophetarum vocibus „ repromiſſum, & ideo petimus ut abluamur „ baptismo, ne in hoc delicto permaneamus. „ Gavisus autem nuntio Pontifex, nocte ſancta „ Pentecoſtes, vigiliis celebratis, ad Baptis- „ terium foras muraneum egreſſus eſt, ibique „ omnis multitudo coram eo proſtrata bap- „ tismum flagitavit. At ille prae gaudio lacry-

„ mans,

„ mans, cunctos aqua abluens; & chrismate
„ liniens, in sinu matris Ecclesiae congrega-
„ vit. Flagrabant cerei, lampades refulge-
„ bant, albicabat tota civitas de grege can-
„ dido; (a) nec minus fuit urbi gaudium,
„ quam quondam Spiritu sancto descenden-
„ te super Apostolos Jerusalem videre pro-
„ meruit. Fuerunt autem qui baptizati sunt
„ amplius quingenti."

§. LXXII. Prudentissimae eiusmodi oeconomiae, (ecquid é PP. vocem mutuam sumere (b) nos vetat?) rationem Severus iure habuit, eamque totius, qua de sermo, rei exitus mirificé confirmat. „ Illud magis mi-
„ rum, magisque gaudendum est, inquit, (c)
„ quod ipsam judaicae plebis terram diu
„ iner-

(a) i. e. ipsis recens baptizatis, quos superius *albatos* dixerat, propterea quod albis eos indui vestibus prisci moris esset. At de his sacros Antiquarios confersis, Selvagium saltem *Lib. III. cap.* 5. §. 2.
„ Et qui eodem Gregorio Turonense expetente eius-
„ modi Judaeorum baptismum cecinit Venantius For-
„ tunatus, ut cum Baronio loquar, ista (*Carm. Lib.*
„ *IV.*) subdit admodum praeclaré:

Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies." cet.

(b) Morinus *cap. laud.* videndus.

(c) *Num.* 20.

„ inertem, recisis incredulitatis vepribus, &
„ recepto verbi ſemine multiplicem fructum
„ iuſtitiae germinare conspicimus::: Primum
„ ::: ipsa Synagogae fundamenta evertere,
„ deinde ad novam basilicam conſtruendam,
„ non ſolum impendia conferunt, ſed etiam
„ humeris ſaxa comportant."

§. LXXIII. ¿Quei igitur *eventi* Severianis litteris traditi *nullam rationem reddi, nisi visiones quasdam ambiguas* Dumesnilius pronuntiat? Neque talia herclé, quae Severus memorat visa, ut Dumesniliano ſtigmate confodi debeant, sive visionum nomine ſomnia *num.* 7. & 8. prodita, „ quorum si nul-
„ lam feciſſet mentionem, non minimam par-
„ tem divinae gloriae ſe operuiſſe (a) vi-
„ sus fuiſſet," sive etiam prodigia, cum *num.* 15., cum 17., & 18. ad poſterorum memoriam commendata, ut Auguſtino, (b) & Bonaventura (c) praeeuntibus, intelligere Vir doctiſſimus poterat, intelligere voluerit. *Duo tantum* Severus *ſomnia inserit*. Primum ita ſe habuit. (d) „ Theodora ::: quae
„ ty-

(a) *Num.* 6.
(b) Lib. X. *Confess. cap.* 35.
(c) *De Profect. Relig. Lib. XI. cap.* 75.
(d) *Num.* 7.

„ typum portare Ecclesiae meruerat, vidit in
„ visione noctis viduam quamdam nobilissi-
„ mam ad Severum insertas (s. *inscriptas*)
„ litteras per se mississe (s. *praemisisse*), qui-
„ bus *Nostrati Praesuli* cunctos agros suos
„ ad seminandum suppliciter offerret. Simili
„ etiam somnio Severum ipsum ad seminan-
„ dum praecingere, & commonere Deus dig-
„ natus est. Alterum (a) Theodorus::: sum-
„ mus Sacerdos perfidi populi::: multis,:::
„ ante non parvum quam adimpleretur tem-
„ pus his sermonibus propalavit. Eunti mihi,
„ inquit, in Synagogam duodecim viri ma-
„ nus obvias obtulerunt dicentes: ¿Quo vadis?
„ Leo illic est. Cum ego audito leonis no-
„ mine trepidare coepissem, locum tamen
„ dum fugam paro unde introspicerem reperi,
„ & vidi monachos illic mira suavitate psal-
„ lentes. Maior mihi pavor illicò adiectus est,
„ & nisi in cuiusdam nomine Ruben ingres-
„ sus fuissem domum, & inde ad matrem
„ propinquam cursu praecipiti convolassem,
„ nequaquam curam mortiferi terroris eva-
„ sissem. Illa me exanimem sinu suo confovens,
„ á discrimine pariter, & á metu eripuit."

§. LXXIV. *Magna certé prudentia adhi-
benda*

(a) *Num.* 8.

benda est in iis quae in somno usu veniunt, quemadmodum insignis Joannis Climaci Scholiastes, & divinarum litterarum fidem sequutus, & infinitos propé cum ex Asceticis, cum é Sacris Criticis (a) secum consentientes habens, totidem verbis dixit: (b) *Paucorum enim*, ut mox subiicit, *illorum est diiudicatio.* At non continuô Theodori, Theodoraeque somnia, velut aegri somnia vana traducenda sunt. Sic eorum species comparatae, ut & pes, & caput uni formae reddatur, ut & res somnis obiectae, & rerum exitus istarum cognatione quadam inter se contineantur, ut Tertullianicum illud de somniis in universim (c) haud sinistro oscine ad eadem accomodare posses: „ Non quia videntur vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non „ de conspectu renuntiatur."

§. LXXV. Severum tantum audito: „ ¿Quae „ est altera (sic ille) nobilissima vidua, nisi „ illa, quae Christum impié perimendo, semetipsam crudelissimé viduavit?" (d) ¿Quid agro-

(a) Conf. Bona Card. de *Discret. Spirit. cap.* 16. & Lambertinius *de Servor. Dei Beatificat. Lib. III. cap.* 51.

(b) *Ad Gradum XV. num.* 39.

(c) *De Anima cap.* 57.

(d) *Num.* 7.

agrorum ſpecies, queis à Praesule noſtrate ſe-
mina mandanda, nisi Judaeorum animi, é
quibus „ fertiliſſima fidei opera pullularunt"
(a) praesagire poterant? „ Theodori ſomni-
„ um (b) valdé clarum eſt, & interpreta-
„ tione non indiget. ¿ Quis enim *Leo* nisi ille
„ *de tribu Juda*? (c) ¿ quae propinqua illa,
„ nisi de qua ſcriptum eſt: (d) *una eſt pro-*
„ *pinqua mea.* (*) Et quod antea videba-
„ tur obscurum quod in domum Ruben::: á
„ leone cum terreretur ingreſſus eſt::: poſtmo-
„ dum ab ipso leone, qui terruit ut ſalva-
„ ret, evidentiſſime hoc modo expositum eſt.
„ (e) Stabat Theodorus in loco prorsus eo-
„ dem, quo ei pridem per ſomnium terror
„ fuerat leonis iniectus, & cum causam trepi-
„ dationis" (nationis ſuae exiſtimantis princi-
pem perfidiae ſuae (f) eſſe conversum) „ in-
„ quireret, (g) & nomen ſolummodo noſtri
„ leo-

(a) *Num.* 20.
(b) *Num.* 8.
(c) *Apocalyps. cap.* 5.
(d) *Canticor. VI.*
(*) Conf. Nota nostra in hunc locum.
(e) *Num.* 12.
(f) *Num.* 12.
(g) *Num.* 12.

„ leonis audiret, nullam illic, sicut fere-
„ batur, feritatem videns, (a) tantum psal-
„ lentes Monachos intuebatur, & ab omni
„ ſuorum multitudine deſtitutus, atque elabi
„ parans, etiam ipse pedum viam prospicie-
„ bat, quem cum horribili formidine appre-
„ hensum, non ſolum colore vultus, verum
„ etiam vocis officio deſtitutum Ruben::: as-
„ pexiſſet, properé accedit, & trementem
„ blando ſermone compellans::: ad Chriſti
„ fidem cohortabatur, atque ingerens ei pro
„ ſuffragio metus, ſuae credulitatis exem-
„ plum, domus figurae, ad quam pavore leo-
„ nis confugerat, quodam modo ſatisfacere vi-
„ debatur." Theodorus Chriſto nomen ſe da-
turum pollicetur „ anxietate tamen non pe-
„ nitus caret: nam licet in domum Ruben,
„ per promiſſionem ſuam iam veniret, in-
„ greſſus tamen & tunc trepidus erat, quia
„ nondum ad propinquam venerat, quae eum
„ poſt triduum materno ſuscepit sinu, & ab
„ omni perturbatione trepidationis absolvit."

§. LXXVI. ¿ Quid iam ſodes ambigui? Ego certé ex omnium fere Eccleſiae aetatum monumentis & multa, & celeberrima ſomnia recitare poſſem, quae cum à Severo

K pro-

(a) *Eod. num.*

proditis qui conferat, cum *viderentur*, placet Tertulliani iterum uti verbo, non osbcura minus, cum *adimplerentur* haud clariora asseverares. Sed ne aliorum scrinia compilare, aut per viros, coeterum cordatos, nimium credulos profecisse videar, nonnulla in *Sincera Martyrum Acta* (a) relata indicare, quaedam é Severiani temporis Scriptoribus referre iuvat: quin & ex istis Uzalensem Anonymum, longa oratione civibus suis somnia obiecta narrantem, eò libentius producam, ut & haud absimili ac Nostratem ratione ea exposuisse satis pareat.

§. LXXVII. Memoria repetito veneran-
dum

(a) *Sincera* dico, quae Ruinartio (*Praefat. Gener. in eadem Acta §. I. num.* 11.) *sinceriora* visa sunt, qui non ita se rem confecisse arbitrabatur, ut nulla penitus praeter ea, quae ipse exhibet *sincera* Martyrum Acta reperiri posse existimaret, cui animus haud fuit ea omnia inter spuria reiicere, quae non descripsit, qui „ & si aliquis (subdit) „ nonnulla ex iis quae á me forté reiecta sunt sin„ cera iudicaverit, non refragabor, modó id argumen„ tis certis probare queat: alias unusquisque in suo „ sensu abundet.“ Quod idcircó monendum duxi ne in acumina paulo tenuiora descendisse videar, aut descendere cogar.

dum illum ſenem Polycarpum (a) *cervical capitis ſui flamma ambiente circumdari* intuitum. Aegyptium (b) contra Perpetuam exeuntem, cum adiutoribus ſuis, adversus eam pugnaturum. Mirae magnitudinis draconi (c) caput à Perpetua ipsa calcatum. Frontonem (d) duos videntem viros, qui thesaurum regioni ſuae afferrent. Jacobo, (e) Mariano, Aemiliano *divinae dignationis oſtensiones exhibitas.*

§. LXXVIII. Ut Paulus Orosius autor eſt (f) „appulsus in Africam Mascelzel, „Gildonis frater, cum quinque millibus mi„litum, contra ſeptuaginta millia hominum „caſtrametatus ::: cum interiecta mora op„positas praeiacentis vallis anguſtias trans„gredi vellet, intercurrente nocte, per ſomnium,

(a) Conf. *Epist. Eccles. Smyrnensis* de eius Martyrio *num.* 5. Videnda & *num.* 12. & 13.

(b) *In eius, & socior. Passione num.* 10. Conf. & August. *Lib. III. de Anima cap.* 13.

(c) *Num.* 4. Et August. *serm.* 1. de eisdem conf.

(d) *In Actis S. Theodoti Ancyrani, & septem Virginum num.* 11. Videnda & Acta ipsa á *num.* 32.

(e) *In eorumdem Passione num.* 6. 7. 8. 11. & *sequentibus.*

(f) *Hist. Lib. VII. cap.* 36. quod Dumesnilius *ad an. CCCXVIII.* sive *Lib. XVIII. num.* 7. exscribit.

„ nium, Beatum Ambrosium Episcopum sibi
„ videre visus est, significantem manu, &
„ impacto ad humum ter baculo dicentem:
„ *hic*, *hic*, *hic*. Quod ille prudenti coniec-
„ tura intellexit, meritoque annuntiantis fi-
„ dem victoriae, verbo locum, numero diem
„ significari. Substitit, ac tertio demum die
„ : : : in hostem circumfusum processit; &
„ cum ad eos qui primi occurrerant, pia pa-
„ cis verba iactaret, signiferum quemdam in-
„ solenter obsistentem : : : gladio percussit in
„ brachio, cumque : : : ipso vulnere coegit
„ pronum inclinare vexillum. Quo viso, re-
„ liquae cohortes, deditionem iam fieri prio-
„ rum existimantes, certatim se ad Mascel-
„ zelem signis tradidere conversis. Barbari,
„ quorum magnam multitudinem Gildo ad
„ bellum deduxerat, defectu militum destituti
„ in diversa fugerunt."

§. LXXIX. Lucianus *Ecclesiae*, *quae in villa Caphargamala in territorio Jerosolimitano* (a) *sita* erat *Presbyter*, *vir Sanctus* (b) *cui revelavit Deus locum sepulchri, &* re-

(a) Sic Lucianus ipse, quem *Ulimerianum* Maurini *in Admonit. in eius Epistolam, laud. in Appendicem* translatam appellant, & in Floriacensi codice, é quo eamdem epistolam descripsere.

(b) Ex Gennadio in *de Viris Illustribus*.

reliquiarum corporis S. Stephani Martyris primi, in Epiſtola qua *ſcripsit ipsam revelationem ad omnium Ecclesiarum personas* (a) *ſemivigilanti sibi*, (sive, ut Breviarium Romanum habet, *in ſomnis*) *digni Sacerdotis*, quam multis describit ſpeciem obiectam, cumque eo habita colloquia poſtquam narraſſet (b) „ Domnus (c) Gamaliel (ſub-iun-

(a) Fortassis quae Lucianea ex Epistola afferam: Dumesnilius probabit, tametsi haec illius sint (*Lib. XX. num.* 20.) „ Photius aliam eiusdem (Stephani) „ inventionis Relationem legisse se dicit in Libris „ Evaristi Presbyteri CPolitani, qui eam á Chry- „ sippo Presbytero Jerosolymitano, qui eadem aeta- „ te vivebat scriptam fuisse testatur. Hanc utpo- „ té simpliciorem sequuti sumus. Ipsa videtur Nar- „ ratio Luciani, si pauca quaedam minoris momen- „ ti excipias, quae difficultatem patiuntur." Ut ut sit, Cacciarium in *Dissertat. Historica pro Ruffino Aquileiensi P. I.* §. 13. conferto.

(b) *Num.* 2. *&* 3.

(c) Domnos, sive *Dominos* honoris, & reverentiae causa Sanctos appellare Veteribus haud infrequens. Conf. Nobilissimum, eruditissimumque Equitem Franciscum Victorium in *Dissert. Philologica pag.* 28. *& seq.* Cl. Zachariam *Dissertat. de Veter. Inscription. in Re Theolog. usu cap.* 14. *num.* 2. *& cap. postr. num.* 4., alios. Quin & sequiore memoria idem obtinuit mos. Videndus Marteneus *Lib. IV. cap.* 25. *num.* 29. Et in *Ordinario* (Rituali) se-

iungit) (a) ::: ait mihi: Quoniam requi-
„ sisti de reliquiis singulorum, quomodo, &
„ ubi sint positae; appone sensum, & vide di-
„ ligenter, quae ostenduntur tibi.::: Et sta-
„ tim attulit quatuor calathos, tres aureos, &
„ unum argenteum. Tres eorum pleni erant
„ rosis, duo habebant albas rosas, & tertius
„ rubicundas coloris sanguinei, quartus vero
„ calathus argenteus plenus erat croco bene
„ olenti. Et posuit eos ante me. Et ego dixi
„ ei: ¿ Quid sunt isti Domine? Et dixit mihi:
„ Lipsana nostra sunt. Qui rubras habet ro-
„ sas ipse est Domnus Stephanus::: secun-
„ dus calathus Domnus Nicodemus est:::
„ Unus vero calathus argenteus Abibas est fi-
„ lius meus:::, immaculatus ex utero matris
„ suae excessit é mundo, propterea in simi-
„ litudinem argenti mundissimi apparuit.¿ Num-
„ quid non vides crocum, qui in ipso est sua-
„ vissimi esse odoris? Et ipse coniunctus est
„ meo

---

secundum ritum Almae Sedis Maioricensis Valentiae an. MDXVI. excuso, quod Joannes Font, alias Roig compilavit, isthaec legas „Jo pecador hem con-
„ fes ::: á Mossenyer S. Pere," i. e. ego peccator confiteor ::: Domino meo Sancto Petro. „ Pregarém :::
„ per los qui van á Mossenyer Sant Pere de Roma."
cet. cet.

(a) *Num.* 4.

„ meo calatho in excelso loco, ubi ipsi po-
„ siti sumus quasi gemini." Mitto alia (a).
Haud falsum somnium fuisse eventus lucu-
lentissimé ostendit (b).

§. LXXX. Librorum de Miraculis S. Ste-
phani parentis isthaec sunt (c). „ Cum quo-
„ dam loco, vel die sermo reliquiarum" (eius-
dem Diaconorum Antesignani,) „ ab his ser-
„ vis Dei fieret, qui easdem, sibimet de
„ Orientis partibus missas, nobis nescientibus,
„ habebant, adfuit in sermone quaedam eti-
„ am mulier sacra famula Dei, quae ubi hoc
„ audivit non facilé credidit, & apud seme-
„ tipsam tacité dicere coepit ¿ & quis scit si
„ veré Martyrum sunt reliquiae? Statim au-
„ tem sequenti nocte per somnium, ampulla
„ quaedam eidem demonstratur, intra se ha-
„ bens sanguinis quamdam aspersionem, &
„ aristarum, quasi ossium significationem, quam
„ Presbyter quidam manu tenens, germano
„ eius Monacho, illa praesente, locutus est
„ dicens: ¿ Vis scire quomodo Martyrum pro-
„ bentur reliquiae? Quo dicto ampullam eius
ori

(a) *E num. 5. & seqq.*
(b) Conf. *ead. Epist. num.* 8.
(c) *Cap. I. Lib. I.*

„ ori iniecit, & mox flamma ignis (a) per
„ aures eius, atque oculos evomi coepit. Hoc
„ quomodo res ipsa manifeſtata sit dignanter
„ accipite. Ampullam sicut oculis ſuis vidit an-
„ cilla Dei in ſomni revelatione, sic inter ma-
„ nus ſuas accepit poſtea Sacerdos Dei in ipsius
„ rei manifeſtatione; & quod illa quamdam
„ dubitationem prius in ſe habuit, eamdem
„ nunc in quibusdam res ipsa declaravit. Quod
„ deinde ignis per ampullam aures, atque ocu-
„ los comprehendit, ¿ quid aliud tunc praesig-
„ navit, nisi quod praedicatio ſanctarum reli-
„ quiarum perveniens ad os Monachorum,
„ unum corpus Ecclesiae, per auditum, atque
„ visum claritatis Dei igne ſuccendit, ut omnes
„ meritó dicerent: (*) *Sicut audivimus ita &
„ vidimus*? Nec quod ille Presbyter apparuit,
„ qui ad os Monachi ampullam applicuit, quae
„ ignem emissit, inane fuit. Is enim erat, qui
„ nuper ex Oriente rediens, & de Sanctis re-
„ liquiis, quas illic viderat, in ore Servorum
„ Dei verbum ponens, quasi ampullam ad-
„ movit, & ſancto igne ſuccendit."

§. LXXXI. „ Alia autem Virgo (b) sa-
„ cra

(a) Sic M. S. Floriacense. Editi *flamma sanguinis*. Maurini.
(*) *Psalm. XLVII. v. 9.*
(b) *Cap. 2.*

„ cra ad locum antiquorum Martyrum in
„ ſuburbio civitatis (Uzalensis) conſtituto-
„ rum , qui Felix & Gennadius nuncupantur,
„ videbatur sibi iter facere per ſomnum : : :
„ via aliquantulum devia, & flexuosa. Per
„ hanc videt adventare innumeros populos
„ gaudentes ſané, atque psallentes , & cereos,
„ & luminaria : : : geſtantes, & quasi quem-
„ dam candidatum parvulum comitantes, at-
„ que iteratis vocibus inclamantes: *Confeſſor*
„ *Chriſti , Confeſſor Chriſti.* Quem cum ad
„ Ecclesiam perduxiſſent, atque ſuper pul-
„ pitum elevaſſent, videt eumdem parvulum
„ ſubitó manus expandiſſe, & ore proximo
„ populis dixiſſe: *Ecce habetis Martyrem.*
„ ¡ Mirabile dictu eſt quanta huius quoque
„ visionis veritas consequuta eſt! Nec im-
„ meritó olim per Prophetam divina voce
„ praedictum eſt: (*) Ecce dies veniunt di-
„ cit Dominus & dabo de ſpiritu meo ſuper
„ omnem carnem" : : : cet. : : : Si placet vi-
„ sionis fructum incipiamus oſtendere. Igitur
„ poſt quadraginta fermé dies, ex quo iſta
„ revelata ſunt, in loco memoratorum Mar-
„ tyrum noſtrorum, quó illa pergentem ſe vi-
„ derat, ſusceptis ibi reliquiis : : : exinde can-

 „ tan-

(*) *Joel. cap. XVIII.*

„ tantes, atque psallentes, cum immensae mul-
„ titudinis choris ad civitatem regredi coepi-
„ mus; per illam vero viam, quae puellae
„ monstrata est, portabantur Sancti Episco-
„ pi gremio residentis vehiculo sanctae reli-
„ quiae, velut ille parvulus candidatus, qui
„ ab illa fuerat visus. In sui quippe corporis
„ portione parvulus ille cognoscitur Confessor
„ Christi. ¿Dubitas an Martyr parvulus sit?
„ ¿Nonne propter innocentiam infantulus,
„ propter humilitatem pusillus est? Ipse deni-
„ que hymnus, qui ore universi populi can-
„ tabatur (a): *Benedictus qui venit in nomine*
„ *Domini*, ¿quid aliud, dum repetita voce
„ cantaretur, significasse intelligitur, nisi quod
„ illa audiente dicebatur: *Confessor Christi*,
„ *Confessor Christi*? Jam vero sicut osten-
„ sum erat puellae, ita cereis, luminaribus-
„ que fulgebant. Eamdem quoque, quam illa
„ per visionem viderat, nos etiam intravimus
„ Ecclesiam. Unum aliquid ultimum de omni
„ visione iam restat, quod puella Confes-
„ sorem illum in pulpitum levatum esse cons-
„ pexerat, & extensis manibus dicentem po-
„ pulis audierat: *Ecce habetis Martyrem*.
„ Hoc quoque qualiter impletum sit::: dig-
„ nami-

(a) *Psalm. CXVII. v. 26.*

„ namini accipere." Sequuntur, quae iam pridem attulimus „ Eodem namque die. cet. :::

§. LXXXII. „ Et quidam eiusdem civitatis tonsor (a), qui Concordius vocabatur, „ pedem cadendo fregerat. Is diu lecto decumbens, variis doloribus cruciabatur ::: „ Ecce quadam nocte, ipso quidem dormiente, sed non illo ::: obdormiente, *qui custodit Israel*, (b) videt per somnum, se „ in arduum quemdam, & angustum cuiusdam montis ascensum, unde nulla sibi esset facultas remeandi, nullus exitus evadendi. ¿ Ex quo quid aliud demonstrabatur, „ quam ut sciret, atque intelligeret, in angustiis pressurarum suarum, non humanum, „ sed solius Dei debere querere auxilium? „ Namque apparuisse sibi ait quamdam reverendi visus foeminam, quae sibi sic afflicto, & dolorum amaritudine repleto, speciem fici traderet, per cuius dulcedinis „ significationem spiritalis gratiae perciperet „ suavitatem. Unde etiam fiduciam impetrandi accipiens, precibus insistebat, & sanitatem ab ea petebat. At illa, quae typum procul dubio gestabat Ecclesiae: mo-

„ do

(a) *Cap.* 4.
(b) *Psalm. CXX. v.* 4.

„ do, inquit, accede ad Sanctum Stephanum,
„ & faciet te ſanum. Quod dictum, facti fi-
„ des eſt ſubsequuta. Nam cum illa diſcederet,
„ & : : : ipse diceret : ¿ Dimittis me, & ducis te?
„ ecce videt illam, ſicut illi promiſſerat, ad
„ Sanctum Stephanum accedentem, & pro
„ ſe rogantem, ac dicentem his verbis: Rogo
„ te, per Sanctitatem tuam cura illum, mi-
„ ſerere illi, miſerere filiorum eius, libera
„ hominem innocentem de tribulatione. Tum
„ illum qui rogabatur, vidit ad ſe, atque ad
„ cubiculum, in quo iacebat, ingredientem,
„ amictum veſte candida, ſpecie decora.
„ Quem mox ut agnovit, ut aegrotus me-
„ dicum, egenus copioſum, ſupplex patro-
„ num, his verbis, cum lacrymis rogabat di-
„ cens: Care Chriſti amice, cura me, libe-
„ ra me de tribulatione, miſerere mihi, mi-
„ ſerere filiis meis. Vix precator verba finie-
„ rat, & iam precum exauditor precibus res-
„ pondebat dicens: Surge, ſalvus factus es.
„ At ille, tamquam qui dormiens corpore,
„ ſed vigilans ſpiritu audiſſet, continuò de
„ lecto exilivit, & ante lectum ſuum firmis
„ greſſibus incedere coepit, ac sic verbum
„ prophetiae (*) implevit: *& claudus ſaliet*
si-

(*) *Isaiae cap. XXXV. vers. 6.*

„ *sicut cervus.*" Sed de ſomniis plus ſatis.

§. LXXXIII. Venio ad prodigia, & quamquam heic disputationem non inſtituam, quam ſtans pede in uno haud expedirem ¿ sintne ea pura, putaque metheora dicenda, aut in veri nominis miraculorum familiam cooptanda ?, illorum licet causae non reperiantur, observari tamen ut mira poſſunt, externaque eorumdem adjuncta consideranti, divini forsan numinis vis in illis feré omnibus ſaltem, ſe prodere videbitur; graviſſimis certè Viris, é quibus egregios divinorum Codicum Enarratores loquentes inducemus, prodere ſese videbatur, ut miracula *quoad circumſtantias* (lubet illuſtris de Scholis Piis Theologi Liberati Faſſoni (a) verbum usurpare) ea non immeritò crederes. Pauca de singulis dicam, & cum nonnullis tum é Severiana, tum é ſequioribus aetatibus conferri poſſe monſtrabo.

§. LXXXIV. Profectò *Deus*, qui *lux eſt*, (b) & in *cuius lumine* beati vident *lumen*, (c) non tantum illorum animos ad ſe evolantes, ut Pauli Eremitarum coriphoei, (d) Benedicti,

(a) *Dissertat. de Miraculis* §. 8.
(b) *I. Joannis cap. I. vers.* 5.
(c) *Psalm. XXXV. v.* 10.
(d) Apud Hieronym. *in eius Vita.*

ti, (a) Joannae Franciscae Fremiotae (b); non corpora dumtaxat, & dum ſpiritus illorum artus regeret, sive inter orandum, ut Theresiae, (c) Angelici Aloysii (d), sive ſacrum facientium, ut Vlrici Villariensis Monachi, (e) Thomae Lombardi (f), sive de divinis rebus colloquia inter ſe miscentium ut Caroli Borromei, & Philippi Nerii (g), sive ad populum pro ſacris roſtris dicentium, ut Ambrosii Senensis (h), Francisci Salesii (i), & poſtquam fato functi fuerant ut Sigismundi (k), Petri cuiusdam Abbatis (l), Joannis Nepomuceni (m); verum etiam loca, in quibus Sanctorum cadavera, ſacrave ipsorum pig-

(a) Ap. Gregor. Mag. *Dialog. Lib. III. c.* 37.

(b) *In eiusdem, & S. Vincent. á Paulo Vita.*

(c) *In II. Relat. Sac. Rom. Rot. Audit. de eius Virtut.* §. 3.

(d) Ex V. Bellarmino, ap. Lambertinium *de Servorum Dei Beatificat. Lib. III. cap.* 26.

(e) *Martyrolog. Gallican. Kal. Oct. in Append.*

(f) *In Menolog. Cistercien. ad diem* 4. *Augusti.*

(g) Ap. plerosque.

(h) Ap. Lambertin. *Lib. IV. P.* 1. *c.* 26. *n.* 28.

(i) Ap. Carol. Salesium in Patrui Vita.

(k) E Gregor. Turonensi *de Gest. Francor. Lib. III. cap.* 6.

(l) Ap. Bedam *Hist. Anglor. Lib. I. cap.* 32.

(m) Conf. eius *Vita.*

pignora sita erant, coeleſtibus ſoepenùmeró fulgoribus illuſtravit. Sic ad Vzalensem, quam memoravi Martyrum memoriam, *ſtella occurriſſe* refertur. (a) Sic è Quintini ſepulchro immensus ſplendor fusus. (b) Sic ut alia praeteream nullo negotio parabilia „ cum „ anno MCCCLXXXIII. XII. Kal. Mart. Do- „ minici Guzmanii caput Fratres Praedica- „ tores ex arca extraherent, & ad usum Ec- „ clesiae nobili loculo argenteo collocarent, „ mirum illud oculis mortalibus accidit, quod „ interim dum arca patuit, ſtella ſupra Eccle- „ siam clariſſima fulsit. Quae res animadver- „ sa, civitatis (Bononiensis) religionem erga „ ſanctum Confeſſorem accendit." (c) ¿Quidni etiam igitur, Noſtratum erga Martyrum Antiſtitem accendendae pietati, globum (d) „ candidiſſimi luminis : : : qui tantae eſſet cla- „ ritatis ut Sol decidere alicui videretur : : : propé basilicam, in quam ipsius reliquiae nuper illatae fuerant, *lento lapsu* demiſſum credamus ? ; eumdemque Levitarum coriphoe-

(a) *Lib. I. de Mirac. S. Steph. cap.* 2.

(b) *Ap. Surium.*

(c) Totidem verbis Sigonius *Lib. III. de Episcop. Bononiensibus in Vita Card. Philippi Caraffa.*

(d) E Severi *num.* 15.

phoeum, cuius (a) *omnes qui ſedebant in concilio videbant faciem* : : : *tamquam faciem Angeli*, ſeu qui, ut chriſtianae fidicen lyrae Prudentius cecinit: (b)

. . . . . . „ praetulit
„ oris corusci gloriam
„ : : per imbrem ſaxeum
„ Coelos apertos intuens"

neque novo, neque insolenti honore decoratum?

§. LXXXV. Si in X. mill. Martyrum Historia, quam Nicolaus Serarius ſe manu ſcriptam vidiſſe ait „ manna iis aliquando pas-„ cendis é coelo delapsum traditur;" (c) nobis, cum eodem multiiugae eruditionis, & ſagaciſſimi Viro ingenii qua de Severus, *nobilior*, & *confirmatior mannae delapsio eſt*. (d) Et à Jacobo Tirino, Severo teſtimonium denuntiante haud iniuria fuisse dictum (e) ſcimus „ Simile manna (*Angelorum escae*, qua Dominus *nutrivit populum ſuum* (f) „ si-

---

(a) *Act. Apostol. cap. VI. vers. postr.*

(b) *In Peristephanon*, sive *de Coronis Libro*, *Hym. II. strop.* 93.

(c) *In V. Josue caput Quaest. XXXVII*.

(d) *Eod. in loco.*

(e) *In Exod. cap. XVI. sub fin.*

(f) *Sapient. cap. XVI. vers.* 20.

„ simili miraculo, poſt Chriſti tempora in „ Insulis Balearibus (a) depluit rursum Deus, „ in gratiam Judaeorum, qui tum plurimi ad „ fidem Chriſti accedebant."

§. LXXXVI. A bonis Autoribus (b) ſcriptum accepimus, & in Eccleſiaſticis tabulis relatum eſt (c) cum ſacrum Froilani corpus, é Morerolae Coenobio, quod primúm ille Abbas prudentiſſimé rexerat, ad Legionensem, quam dein Episcopus adminiſtravit, Ecclesiam transferretur „ per totam viam homines, animantes ipsasque arbores melleo „ liquore maduiſſe." ¿Et cur Stephani interventu aquam „ in mel sinceriſſimum conver„ sam (d), ut Meletii uxor amaritudinem „ incredulitatis (iuvat iſtud repetere) abii„ cere compelleretur (e)" inficiabimur?

§. LXXXVII. Quae *num.* 17. Severus narrat, quandoquidem ceu eventi à Dumesnilio notati causa nullo pacto proferuntur, breviorem à me ſermonem poſtulant. De pluvia, M quae

---

(a) Nihil de Maiore Baleari apud Severum.

(b) Cum Benedictinae familiae, cum Hispanis Agiographis.

(c) Die V. Octob. qui dies Froilano proprius est *in Offic. SS. Hisp.*

(d) E Severi *num.* 17.

(e) *Num.* 17.

quae advenientes ad fidem Christi Judaeos praecedebat, nihil Severianis opus est addere. Dicam dumtaxat Beatorum exuvias suavissimè soepenumero olere, cum multa eaque luculentissima exempla á Viro Summo Prospero Lambertinio (a) in unum collata fateri nos cogant; facili sibi quisque opera persuadere poterit, quemadmodum in Jerosolymitanorum gratiam „ cum Stephani thecam aperuis„ sent, tanta suavitas, & fragrantia odoris, „ egressa est, ut, Luciano autore (b), in „ amoenitate paradisi se positos putarent; mi„ rifico veréque coelesti odore Magonensem „ Ecclesiam fragrasse (c), ut praesentiam „ Sancti Spiritus::: fraternitas penè universa „ sentiret," propterea quod é Martyrum Antesignani pignoribus apud se positis, ceu Tillemontio (d) Avitus loco inferius describendo, (e) indicare videbatur, olei cuiusdam aromatici genus flueret, quale ex Andreae Apostoli tumulo Gregorius Turonensis, (f) é Nicolai Mirensis ossibus Breviarium Mozarabicum,

(a) *Lib. IV. P. I. cap.* 31. *á num.* 26.
(b) *Cit. Epist. num.* 8.
(c) *E Severi num.* 17.
(d) *Loco citato.*
(e) *In Severi Epist. num. III. Nota* 8.
(f) *Lib. I. de Gloria Martyrum cap.* 31.

bicum, (a) aliaque monumenta, é Theresiae reliquiis Sac. Rom. Rotae Auditores, (b) apud quem modo nominavi, & quem ſoepiſſimé nominare geſtio Lambertinium, (c) teſtantur.

§. LXXXVIII. Reſtat ut extrema Dumesnilianae ſententiae verba ad trutinam exigamus. *Haec* (ab ſe nimirum notata) inquit ille, *& similia* (quaenam iſthaec sint ut indicaſſet optarem) *narrantur* á Baroniano Severo, *stylo prorsus barbaro, & pueriliter effuso.* Sed viri doctiſſimi pace mitius cum Noſtratis Epiſtola agendum erat. Quemadmodum ſua cuique animi cogitatio, colorque privus eſt, ſuum stylum eſſe, qualem uniuscuiusque ſcilicet ingenium, doctrina, domicilium, vitae inſtitutum, adiuncta alia ferunt praeteribo. Sacra eruditione Severum valuisse nonnihil diximus, praeſtantem fuiſſe non diximus. Epiſtolam dabat, cui, vel ex Tullii ſententia, interdum fas eſt hallucinari. In ea Insula dabat, „quae omnium „terrarum parvitate, ariditate, asperitate pos„trema" ipsimet videbatur, (d) & cuius certé

(a) *In eiusd. Hymno.*
(b) *In Relat. de eius Miraculis.*
(c) *Laud.* nuper *cap. num.* 19. *&* 20.
(d) *Num.* 2.

té incolae quin ad barbarum plerumque ſermonem magis vacarent, quam Ireneus (a) apud Celtas degens, fieri haud poterat. Ea tempeſtate dabat, qua barbaries, (b) torrentis, ruptis aggeribus more, exundárat, & qua latinitatis laude florentes non tot ſané apparuiſſent quot erant:

„ Thebarum portae, aut divitis oſtia Nili.

Ad illos dabat, *qui non eloquii ornatum ſed veritatem quaerebant.* (c) Franciscum Vavassorium, cuius ſepulchro politiſſimus Vates Joannes Commirius flores hosce ſpargebat:

„ Vavassor iacet hic, quem postquam fata tulerunt,
„ Latinae Charites dedidicere loqui;

cum *Gloſſarium mediae, & infimae Latinitatis* à Fresneo elucubratum vidiſſet, dixiſſe fertur ſe aetatem laboraſſe, ut ea nesciret. Longé aliter Severus, qui vel quód Eccleſiae noſtrae clavum Episcopus teneret, *ſapientibus, & insipientibus*, Apoſtolo monente, (d) *ſe debitorem* eſſe intima mente defixum habuiſſet, rarisque propterea auribus ſe placere

---

(a) Vid. ipse *in Praef. Libr. adversus Haereses.*

(b) Conf. qui de Latinae Linguae aetatibus disseruere Cellarius, Borrichius, Noltenius, Mannhartius, alii.

(c) *Cit. Num.* 12.

(d) *Epist. ad Rom. I. v.* 14.

cere haud iuvasset. Nam si Christiani hominis est, ut praeclaré Basilius animadvertit (a) „non ad ostentationem, sed ad publi- „ca commoda scribere," ¿quanto magis sacrorum Antistitis erat summa niti ope, ut illud vitaret vitium, quod superiore inclinante saeculo elegantissimus Abrincensis Praesul Daniel Huetius in doctissimi Thomassinii lucubrationibus reprehendebat? (b) Satis superque muneri se facere suo Severus credidit, si Tullianum illud de Epicurea, (c) in suam caderet orationem, *complecti verbis quod vellet, & ita loqui ut intelligeretur.*

§. LXXXIX. Et praestantissimorum profectó Patrum more, modóque, quibus non tantum sermonis flosculos, lepóres, veneres, studiosé consectari piaculo erat, totumque Isocratis pigmentarium, quód nimium bené oluisset, non bene oluisset; verum etiam quae ipsi vulgaturi erant scripta multa die, & multa litura coercere, perfectaque decies ad unguem castigare fas soepenumero haud fuisset. Taceo Hieronymum,

(a) *Epist. ad Diodor. CXXXIII.*

(b) In *Comment. de rebus ad se pertinentibus.* „Frustra inquiens, commendationem quaesivit „Thomassinius scriptionibus suis ab elegantia dic- „tionis." cet.

(c) *Lib. I. de Finibus bonor. & malor.*

mum, qui cum ad Paulum Concordiensem Pauli Anachoretarum Magistri Vitam mitteret, „ se non parum propter simpliciores quosque „ in deiiciendo sermone laborasse " scribit. (a) Petrum Chrysologum, cuius egregia vox est: (b) „ Verborum flosculos non quae- „ ramus, qui maturitatis fructum quaerit, des- „ picit amoena camporum. " Augustinus „ mundanorum, ait (c), autorum omnis „ propé cura de verbis est." Aliis in locis: (d) „ ¿ Quid ad nos quid Grammatici ve- „ lint? Melius in barbarismo nostro" (verbum enim *foenerat*, pro *foeneratur* usurpárat) nos „ intelligitis, quam in nostra dissertitudine vos „ deserti eritis." *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam perveniamus.* (e) „ ¿ Quid enim prodest cla- „ vis aurea si aperire quod volumus non „ potest, aut quid obest lignea si hoc potest? „ (f) Sermonem usitatum, & simpli- „ cem etiam docti intelligunt, *illum autem* „ qui supra consuetudinem est *non intelli-* „ *gunt.*"

(a) *Epist. ad eumd.*
(b) *Serm. XVIII. in Vet. Edit.*
(c) *Lib. contra Adimantium cap.* 11.
(d) *In Psalm. XXXVI. Serm. III.*
(e) *Enarrat. in Psalm. XXXVI. laud.*
(f) *De Doctr. Christiana Lib. IV. cap.* 11.

,, *gunt.*" (a) Et, ne teſtimoniis ingeminandis, orationis cursus frangatur, Salviani tandem haec ſunt: (b) ,, Nos::: utilia potius, quam ,, plausibilia ſectamur, neque id quaerimus ut ,, in nobis inania ſeculorum ornamenta, ſed ,, ut ſalubria rerum emolumenta laudentur."

§. XC. Crebras idcircó nimium allegorias, antitheses, verborum lusus, nominum notationes, ſtylum quandoque tinnulum, redundantem, verba aliquando inculta, quandoque haud propria ſatis, multa à prisci ſermonis usu remota (¿ an non *barbara* iſthaec & *puerilia* Dumesnilio?) in Scriptorum graviſſimorum illorum lucubrationibus offendent non ii tantum quibus inde exultantibus unde erubescere debebant, nullus in censoria virga exercenda, pudor, aut modus eſt, vel qui Facundi Hermianensis ſententia (c) susdeque habita, illorum menda, luminarium defectus eſſe animo haud reputant, ,, quae li- ,, cet nonnumquam ſplendoris ſui detrimen- ,, ta ſuſtineant" (& in rebus quidem magni ponderis nondum plané eliquatis ¿ quanto minus in verbornm ſtructura, verbisve?) ,, non

(a) *Lib. I. de Genesi contra Manichaeos c.* I. *n.* I.
(b) *Praefat. ad Libros de Gubernatione Dei.*
(c) Apud Petavium *in Theol. Dogmat. Prolegom.*

„ non tamen amittunt luminaria esse quod sunt;" sed etiam qui extra orbes aequissimis iudicibus definitos vagari flagitio sibi verterent, & nonnisi modesté & circumspecté de viris illustribus pronuntiant. Hieronymo (a) Victoris Petabionensis opera *grandia* licet *sensibus, verborum compositione viliora*; Arnobii stylus (b) *inaequalis, & nimius.* „ Mul„ ta in Ecclesiasticis Scriptoribus contra le„ gem pedariam, utpote qui Orbilio manum „ subtraxere," Martinus Delrius, cuius nomen, latinis donec erit pretium litteris, in pretio erit, totidem verbis dixit. Jacobus etiam Sirmondus, & ipse latinissimus, Eugenii Toletani Antistitis, & Dracontii Diaconi versus rudes, & impolitos, (c) & crassos, & soloce filo textos esse ait. Plura in eamdem sententiam apud Cangium (d) legi posse, Perezius (e) monuit. Et ne quis Emmanuelis Martini, quem alterum Latinitatis Varronem Josephus Lorga, iure summo, vocat, verba de-

---

(a) *De Scriptor. Ecclesiastic. cap. 74.*

(b) *Epistola XIII. ad Paulinum.*

(c) *In eorumdem Henrico Borbonio Principi Dedicatione.*

(d) *In Glossarii Praefat. à num. 58. ad 60.*

(e) *In Append. Dissert. laud. P. I.*

desideret: (a) „ E Patribus Latinis morum „ doctrinam, pietatemque haurire debemus, „ non autem linguam." Ne plura. Quantum in ipso situm erat, aequalium ad amussim Severus orationem exegit suam, eiusque qui hodiernam Epistolam cum multis Chr. Seculi V. scriptis conferat, sin illis plané similem, haud absimilem certé esse iudicabit. Haec ego pro Baroniano Severo, quibus me é vadis emersisse, & scopulos praetervectum esse mihi videor. Jam, quod felix faustumque sit, ad eumdem, pro modulo, illustrandum proram verto.

(a) *Epist. ad eumdem Largam VIII. Lib Epistol.* Martini *Edit. Amstelodam.* 21.

PARS POSTERIOR

EPISTOLA SEVERI I.

AD OMNEM ECCLESIAM

DE VIRTUTIBUS AD JUDAEORUM CONVERSIONEM

IN MINORICENSI INSULA FACTIS

IN PRAESENTIA RELIQUIARUM

SANCTI STEPHANI.

SAnctissimis, ac Beatissimis Dominis Epis- II.
copis, Presbyteris, Diaconibus, & Universae III. IV.
Fraternitati totius Orbis terrarum, Severus V.
Episcopus, misericordia Dei (a) *indigens, &* VI. VII.
omnium ultimus in Christo Redemptore nos- VIII. IX.
tro aeternam salutem.

§. *I.* *Cum* Dei *opera revelare, & confiteri* I.
honorificum esse Raphael Archangelus moneat; profectó silere, & celare opera (b) *Christi*

pe-

(a) Abest á Vaticano Exemplo *Dei.*
(b) Vatic. Palat. *Miracula.*

periculosum est. In quibus tamen adnumerandis maior est gratia, si communi, & sim-
II. *plici sermone referantur. Celatur enim quodammodo speciocissima pulchritudo virtutis, si abundantiori eloquio circumdata fuerit, atque*
III. *fucata. Quapropter ego quoque magnalia quae*
IV. *Christus apud nos operatus est, non composi-*
V. *to sed veridico sermone referre aggredior.*
I. §. *II. Insula Minorica una ex Balearibus Insulis est, quarum nomen cunctis popu-*
II. III. *lis, Secularium quoque auctorum litteris per-*
IV. *vulgatum est. Haec inter Mauritaniam Caesariensem, & Hispaniam, medio propemodum aequoris spatio sita, angustis admodum ter-*
V. *minis clauditur, longitudinem triginta, latitudinem vero tria millia* (a) *passuum habens. Quae nunc idcircó commemoravi, ut agnosci*
VI. *possit, contemptibilia mundi á Domino, non solum in hominibus, sed etiam in locis eligi.*
VII. *In hac itaque Insulà, quae omnium terrarum parvitate, ariditate, asperitate postre-*
VIII. IX. *ma est, duo parva Oppida, quibus à Poenis indita nomina é regione fundata sunt.* (b)
X. XI. *Jammona ad Occasum, Magona ad Orientem spec-*

(a) Vatic. *X. ferme millia passuum.*

(b) Vatic. exemplar: *á Poenis, sicut inditum nomen inditio est, é regione fundata sunt.* Idem Vatic. Palat. nisi quod pro *inditio*, *indictione* referat.

ſpectat. In his mihi omnium mortalium ultimo, nuper Sacerdotalis officii pondus impositum eſt. Sed Jammona antiquum á Deo munus etiamnunc retinet, ut Judaei habitare in ea nequaquam poſſint. Multos siquidem id temerè audentes, aut aegritudine praeventos, aut repulsos, aut morte ſubitanea extinctos, aut etiam fulmine trucidatos, tradit vetuſtas; adeó ut celebris huius rei fama ipsis quoque Judaeis ne id ultrà temeré (a) *audeant, metum fecerit. Nec hoc fide indignum ducimus, cum etiam lupos, vulpesque, & omnia noxia animalia deeſſe videamus, cum earum, quae ad vescendum bonae ſunt, ferarum copia magna sit. Illud etiam magis mirum eſt, quod colubri, & ſcorpiones ſunt quam plurimi, ſed amiſſerunt omninò nocendi violentiam. Cum igitur Jammonam nullus Judaeorum qui lupis, ac vulpibus feritate, & nequitia meritó comparantur, ne hospitii quidem iure, accedere audeat: Magona tantum veluti colubris, & ſcorpionibus, ut tradebatur fervebat, ut quotidie ab his Chriſti Ecclesia morderetur. Sed antiquum illud beneficium carnale, nuper nobis ſpirituale renovatum eſt, ut illa, sicut ſcriptum eſt* (*): *generatio viperarum,* *quae*

XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

(a) Al. *tentare.*

(*) *Luc.* 3. 7.

XX. *quae venenatis ictibus ſaeviebat, ſubitò*
XXI. XXII. *divina virtute compulsa, mortiferum illud*
virus incredulitatis abiecerit.

§. *III. Namque diebus pene iſtis, quibus*
I. *ego tanti Sacerdotii nomen, licet indignus, adep-*
II. *tus ſum; Presbyter quidam ſanctitate praeci-*
III. IV. V. *puus ab Hierosolyma veniens, Magonae non lon-*
VI. *go tempore moratus eſt; qui poſtquam transvehi*
VII. *ad Hispanias, sicut desiderabat, nequivit,*
VIII. *remeare ad Africam denuo ſtatuit. Tunc Bea-*
IX. X. XI. *ti Stephani reliquias, quae nuper revelatae*
ſunt, cum ad Hispanias portare conſtitais-
XII. *set, ipsas, sine dubio Martyre inspirante,*
XIII. XIV. *in memorati Oppidi Ecclesia collocavit. Quo*
XV. *facto protinus ille ignis, quem Dominus ve-*
nit mittere in terram, & quem valde ardere
cupit, caritate eius accensus eſt. Statim si-
quidem tepor noſter incaluit, & factum eſt
Luc. c. 24. *cor nostrum, sicut ſcriptum eſt: ardens in*
via. Tunc enim in fide ille iam ardebat zelus,
tunc ſpes ſalvandae multitudinis erigebat: de-
nique ſtatim intercisa ſunt etiam ſalutationis
officia, & non ſolum familiaritatis consue-
tudo divulsa; ſed etiam noxiae inveteratae
ſpecies caritatis ad odium temporale, ſed pro
aeternae ſalutis amore, translata eſt. In om-
nibus plateis adversus Judaeos pugnae legis,
in omnibus domibus fidei praelia gereban-
tur.

§. *IV.*

§. *IV. Judaeorum populus maximè cu-*
iusdam Theodosii auctoritate, & potentia (a) I.
nitebatur, qui non solum inter Judaeos, ve-
rum etiam inter Christianos eiusdem Oppidi,
& censu, & honore seculi praecipuus erat. II.
Siquidem apud illos Legis Doctor, & (ut III.
illorum utar verbo) Pater Patrum (b) *fuit:*
in Civitate autem cunctis curiae muniis ex- IV.
solutus, & Defensor iam extiterat, & iam V.
nunc Patronus municipium habèbat (c). *Chris-* VI.
tiani autem, ut corde, ita etiam & viribus
humiles, sed veritatis robore superiores, Pa- VII.
troni Stephani patrocinium deprecabantur do- VIII.
nec utrique exercitus, cum iam diem certa-
minis condixissent, datis tunc induciis disces-
serunt, Judaeis id magnopere expectantibus,
ut scilicet, Theodorus, in cuius se omnis Sy-
nagoga viribus acclinabat, ex Maioricensi IX.
Insula reverteretur, ad quam fortè visen-
dae possessionis gratia perrexerat. Qui quidem
statim, ut ad eum missa legatio est, remeans,
auctoritate sua multos terruit, sed non ex-
tinxit, sed consopivit contentionis incendium:
maiore siquidem illicó exardescens violentia,
eti-

(a) Est in Vatic. *peritia.*
(b) Vatic. *Pateron.*
(c) Habet & Vatic. *patronus municipum habetur.*

X. *etiam vicinum Oppidum fidei ſlamma corripuit.*
Prov. 18. *Et, ut illud Salomonis impleretur*: Frater
19. XI. Fratrem adiuvans exaltabitur, sicut civitas
XII. firma, & alta; *ſtatuerunt multi famuli Christi, laborem itineris minimè recusantes, cunctas animi vires huic bello tradere.*

§. *V. Pendente igitur praelio nos quidem qualia praeparaverimus arma, ſubditum huic*
I. *Epiſtolae commonitorium probat, quod quidem non pro quorumdam inſtructione edi voluimus, (quippe qui ea potius egemus, & quam á Beatitudine veſtra magis ſperamus); ſed ut animadverti poſſit, non minimam nos ſolicitudinem, ſecundum modulum poſſibilitatis noſtrae, ſuscepti habuiſſe certaminis, Chris-*
II. *tum vero, cuius Regnum non in ſermone, ſed in virtute eſt, nobis, ne verbum quidem proferentibus, ſuis omnia viribus consummaſſe; & absque ullo ſudore certaminis, exercitui ſuo hanc, quam nemo, aut optare audebat, aut expectare poterat, victoriam conceſſiſſe. Judaei igitur, exemplis ſe Machabaei temporis exhortantes, mortem quoque, pro defendendis legitimis ſuis, desiderabant. Itaque non ſolum libros revolvere, ſed etiam ſaxa, ſudes, iacula, omniaque telorum genera, ad Synagogam conferre coepere, ut Chriſtianorum aciem, virtute Sancti Spiritus munitam (si ita res posceret) etiam corporis viribus propulsarent.*

§. *VI.*

§. VI. Interea dum hi apparatus gerentur, magnoque altrinsecus studio futurum instituitur bellum, utrimque exercitus, inenarrabilibus, (a) & absolutissimis somniis commoventur, quorum si nullam penitus facerem mentionem, non minimam videbor partem divinae gloriae operuisse. Sic enim Sancti Apostoli Pauli somnium Lucas Sacrae Historiae I.
inseruit, dicens: virum Macedonem adstitisse Act. 6.
in visione noctis, orantem, ut adiuvaretur ab eo, & hac Apostolum visione praemonitum, itineris alió destinati cursum ad Macedoniam (b) convertisse. ¿Quanto igitur Domini nostri Jesu-Christi maior est gloria, quod id minimis, atque indignis famulis revelare dignatus est, quod etiam Beato Apostolo demonstratum, Scriptura celare noluit? Igitur brevitatis causa, ne Beatitudini vestrae fastidium fortasse gignatur, duo tantum somnia inseram.

§. VII. Apud nos devota quaedam re- I.
ligiosissima, nomine Theodora, quae & vir- II.
ginitate corporis, & religione propositi, & III.
nominis interpretatione, typum portare Eccle- IV.
siae mereretur, vidit in visione noctis viduam

(a) Vatic. *Innumerabilibus.*
(b) Malé Vatic. *de Macedonia.*

quamdam nobiliſſimam ad me, qui non pro me-
V. *rito, ſed divini numeris largitate Sacerdotio*
fungor, insertas (a) *litteras per ſe miſſiſſe,*
quibus mihi cunctos agros ſuos ad ſeminan-
dum ſuppliciter offerret. Simili etiam ſomnio
me quoque ultimum peccatorem, ad ſeminan-
dum praecingere, & commonere dignatus eſt.
Vidua enim quaedam altera nobiliſſima, quam
Synagogae ſpeciem habuiſſe non dubium eſt,
me ut agros ſuos incultos ſuſciperem, eosque,
quando tempus ſementis urgeret, diligenter
excolerem, deprecabatur. ¿ Quae eſt autem
VI. *altera nobiliſſima vidua, niſi illa, quae Chriſ-*
tum impié perimendo, ſemetipsam crudeliſſi-
VII. *mè viduavit? Hoc ſomnium utriusque unum*
eſt. Ante triginta fermé quam impleretur
dies, & vidiſſe nos, & licet abſolutionem
eius ignoraremus, tamen fratribus indicaſſe
manifeſtum eſt.

§. *VIII. Apud Judaeos quoque miro di-*
vinae diſpenſationis ordine, ut nominis Theo-
dori, & officii mei in uno homine ſocietas con-
I. *veniret, Theodorus, qui ſummus Sacerdos per-*
fidi populi erat, ſomnium, quod viderat, non
ſo-

(a) F. *inscriptas*, ceu Maurini notant, qui & ubi mox Baronius *per se misisse*, alios *praemisisse* referre animadvertunt.

ſolum Judaeis, ſed etiam propinquae cuidam Matrifamilias primariae ipsius civitatis, multisque etiam aliis Chriſtianis, ante non parvum quam adimpleretur tempus, his ſermonibus propalavit: Eunti mihi, inquit, in Synagogam duodecim viri manus obvias obtulerunt dicentes: ¿Quó vadis? Leo illic eſt. Cum ergo audito leonis nomine trepidare coepissem, locum tamen, dum fugam paro, unde introspicerem, reperi, & vidi Monachos illic mira suavitate psallentes. Maior mihi pavor illico adiectus eſt, & nisi in cuiusdam nomine Ruben, ingressus fuissem domum, & inde ad matrem propinquam cursu praecipiti convolassem; nequaquam curam mortiferi terroris evasissem. Hoc eius ſomnium valdé clarum eſt, & interpretatione non indiget. ¿Quis enim Leo, nisi ille de tribu Juda, radix David? *¿Quae propinqua illa, nisi de qua scriptum eſt*: una eſt propinqua mea? *Illud ergo ſolum videbatur obscurum, quod in domum Ruben Judaei, à leone cum terreretur, ingressus eſt: quod quidem nobis poſtmodum ab ipso leone, qui terruit, ut ſalvaret evidentiſſimé expositum eſt. Quod dehinc ſuo explicabimus loco. Nunc autem coeptae rei ordinem prosequar.*

Apoc. c. 5. II. *Cant.* 11. *v.* 10.

§. *IX. Ex Jammonensi Civitate ad profectionem famulorum Chriſti, multitudo conve-*

venit, quae in ipso Oppido putabatur consistere, tantaque dificillimi itineris laborem alacritate confecit, ut triginta millia passuum iucundius transvolaret, quam si ad suburbanum aliquod amaenissimum ad convivia epulari vocaretur. Igitur Magonam perve-
I. *nimus. Statim missis Clericis adventum meum*
II. *Judaeis nuntiavi, & ut ad Ecclesiam Sanc-*
III. *tam accedere dignarentur poposci. Illi autem inopinatum nobis nuntium remittentes, mandaverunt: Ecclesiam sibi (ne credo polluerentur) ingredi die eadem, non oportere, esse enim diem sabbati, cuius festivitatem suis*
IV. *illi actibus corrupissent. Rursum ego expetivi, ut me ad Synagogam, si mallent, operirentur, quandoquidem ingressus Ecclesiae pollutio videretur, non utique eos á nobis in die festi sabbati ad opus servile compelli, futurum autem honestissimum de lege conflictum: nec excitandas lites, & fabulas esse miscendas, aut si astuté certamen fugerent, &*
V. *simplicem afferrent excusationem, ostenderent praeceptum, quo in eo die sermonem conferre, probibitum sit. Ad haec cum illi in omnibus contradictionem obstinatissimam retulissent; tandem illius leonis terrore com-*
VI. *pulsi, ad domum, in quam hospitio accesseram, confluxerunt. Ibi ego: ¿quaeso, inquam, fratres, quare quasi ad latrones,*
prae-

praesertim in Civitate Romanis legibus ſub- VII.
dita, acervos ſaxorum, omniaque armorum
genera congregaſtis? (a) *Nos adquirere cupi-*
mus, vos perdere desideratis. Non eſt, quan-
tum arbitror, aequum ut tam varia lite al-
terutrum laboremus: vos vero, ut video si-
titis noſtrum ſanguinem, nos vero veſtram
ſalutem. Ad haec illi paululum territi, ne-
gaverunt factum, noſtris affirmantibus ita ſe
habere, etiam cum iureiurando renitebantur.
Tunc ego, ut nodum coeptae contentionis abs-
cinderem: ubi res, inquam oculis probari poteſt,
iuratione quid opus eſt? Eamus igitur ad Sy-
nagogam, & utrum pro vitio (b) *an verita-*
te, veſtra nitatur aſſertio, vobismetipsis tes-
tantibus comprobabitur.

§. *X. Pergere igitur ad Synagogam coe-*
pimus, & hymnum Chriſto per plateam ex I.
multitudine laetitiae canebamus. Psalmus au-
tem, quem mira iucunditate, etiam à Ju-
daeis populis decantabatur hic fuit: Periit
memoria eorum cum ſtrepitu, & Dominus II.
in aeternum permanet. *Sed antequam ad Sy-*
nago-

(a) In Vaticano Cod. adiicitur: *Nos Codices ad docendum retulimus, vos ad occidendum gladios acuitis.*

(b) Melius Vatic. Palat. *periurio*

nagogam perveniremus, quaedam Judaeae mulieres (ordinatione credo Dei) audaciam praesumentes, ut ſcilicet noſtrorum lenitas incitaretur, lápides in nos è ſuperiore loco immanissimos iactare coeperunt, qui ¡mirum dictu! cum ſuper confertiſſimam multitudinem, grandinis inſtar, descenderent, neminem noſtrorum, non ſolum ictu, ſed nec tactu quidem vexavere. Hic agnis ſuis, leo ille terribilis, mansuetudinem paululum abſtulit, omnes siquidem, reclamantibus nobis, ſaxa corripiunt, & Paſtoris commonitione poſthabita, cum unum potius consilium, cunctis zelus potius Chriſti, quam ira ſuggereret, lupos cornibus impetendos censuerunt, quamvis hoc,
III. *illius, qui ſolus bonus Paſtor eſt, nutu factum eſſe, nulli dubium sit. Denique, ne cruentam gregi ſuo videretur praeſtitiſſe victoriam, nemo Judaeorum, ſe contactum ſaltem fuiſſe, ne pro invidia quidem, ut mos eſt,*
IV. *simulavit. Sanè quoniam omnimodis debemus*
V. *vitare mendacium, unus ex omni Chriſtianorum numero inventus eſt, qui Achan*
Jos. cap. 7. *illi similis eſſe vellet, qui ſub Jesu Nave de anathemate ſpolia concupivit. Nam ſervus cuiusdam Chriſtiani ſolus, dum aliquid á Synagoga diripere concupiscit, in lapidem offensionis incurrit. Quidam vero noſtrorum, quasi adversus Judaeum lapidem iniecit, qui*

ca-

capiti eius illisus, ut capitis ſui, id eſt Christi, meminiſſet, admonuit. Quod vulnus, licet periculosum fuerit, tamen, & illum rapinae ſuae confiteri concupiscentiam compulit, & cunctos, ne similiter laberentur, praesenti terruit ultione. Igitur, poſtquam Judaeis cedentibus Synagoga potiti ſumus, nullus ex ea quidquam, non dico abſtulit, ſed nec cogitavit diripere. Omnia eius ornamenta, exceptis libris, atque argento, cum ipso
pariete, ignis absumpsit. Libros ſanctos, ne VI.
apud Judaeos iniuriam paterentur ſubſtulimus,
argentum vero, ne vel de praeda noſtra, vel VII.
de ſuo dispendio quaererentur, ipsis reddi-
dimus. Eversa itaque cunctis Judaeis ſtupen- VIII.
tibus Synagoga, ad Ecclesiam cum Hymnis
perreximus, & Auctori victoriae noſtrae gra- IX.
tias referentes, effusis precibus poscebamus, ut vera perfidiae antra Dominus expugnaret, & tenebrosorum pectorum infidelitas co- X.
argueretur á lumine (a).

§. *XI.* *Ruben quidam Judaeus à Domino,*
ut primogenitus omnium conſtitueretur, eſt I.
electus. Nam clamore ſanctiſſimo laetificans cor-

(a) In Vatic. Cod. isthaec adiecta: *Nec ulla in effectu mora. Postera siquidem die, ut congruentia nominum in omnibus servaretur, Ruben* cet.

II. *corda multorum, absolvi se á vinculis Judaicae superstitionis deprecabatur, statimque*
III. *primitivus Jacob factus, signum salutare suscepit, & inde nostris lateribus, atque consiliis*
IV. *inhaerens, obstinatissimam cunctorum duritiem nobiscum increpat. Triduum, ni fallor, emensum est, ex quo nostri in oratione, & Judaei in perfidia perstitere. Post haec venit Theodorus, multitudinis suae agmine circumseptus, ad locum, in quo solum Synagogae parietes, qui post haec credentibus Judaeis sunt subversi, superesse videbantur, ad quem locum Christianorum pariter multitudo convenit. Ibi Theodorus cum audacter de lege differens, omnia, quae obiiciebantur irrideret, atque perverteret; populus Christianus, videns, quod verbis superari non posset humanis, auxilium de coelo imploravit. Omnes igitur pariter clamantes cum summo unitae vocis fragore dixerunt :* Theodore, crede in Christum (a). *¡Mira indulgentissimi Domini misericordia! Adhuc parva petebantur, & maiora concesserat. Imó non mirum est de Omnipotente miraculum. Ipse enim virtutem clamoris huius in auribus Judaeorum commu-*
V. *tavit, qui olim effecit, ut quatuor leprosi Regis*

(a) Vatic. *Credas in Christum.*

gis Syriae, qui Samariam obsederat, castris potirentur, & qui per Gedeon Madianitarum agmina conturbavit, deditque trecentis eius viris ingentem sine labore victoriam, efficiens per terrorem, ut mutuis hostium multitudo vulneribus prosterneretur. Ita & nunc, ista vox, longè aliter á circumstantibus Judaeis suscepta est, quam á nostris immittebatur; omnes enim putaverunt dictum: Theodorus credidit. Itaque existimantes principem perfidiae suae ad Christi fidem fuisse conversum cuncti pariter trepidi, ubi timor non erat VI.
terrebantur. Mulieres eorum sparsis crinibus cum ferali ululatu nomen Theodori repetitis vocibus accusabant, dicentes: ¡O Theodore! ¿quid fecisti? Viri autem, alii ad devios saltus, & fixuras montium confugere, alii per ipsius Oppidi *angiportus discurrebant, locum in quo delitescerent, invenire cupientes.*

§. *XII. Ipse Theodorus stupore perculsus divinam sententiam in plebe sua cernebat impleri:* fugit impius, nemine persequente. *Prov. 28.* *Sed tamen non nemine; persequebatur enim eos leo ille terribilis, qui de Synagogae loco, sicut Theodoro fuerat revelatum, per Monachos rugitum emisserat, quo resistentes tremefecit inimicos. Stabat igitur Theodorus in loco prorsus eodem, quo ei pridem per somnium terror fuerat leonis iniectus,*

tus, & cum causam tantae trepidationis inquireret, & nomen ſolummodo noſtri leonis audiret, nullam illic, sicut ferebatur, feri-
I. *tatem videns, tantum psallentes Monachos intuebatur, & ab omni ſuorum multitudine destitutus, atque elabi parans, etiam ipse pedum viam prospiciebat. Quem cum horribili formidine apprehensum, non ſolum colore vultus, verum etiam vocis officio deſtitutum, Ruben ille ſanctiſſimus aspexiſſet, properè accedit, & trementem blando ſermone compellans, ad Chriſti fidem cohortabatur, atque ingerens ei pro ſuffragio metus ſuae credulitatis exemplum: domus figurae, ad quam pavore leonis confugerat quodammodo ſatisfacere videbatur. Verum ut & nos fideliter universa narremus, & vos, qui non eloquii ornatum, ſed veritatem quaeritis, libentius*
II. *audiatis, ipsius Ruben verba inserens, nihil ex simplicitate dictorum eius ſubtraham. Aiebat enim: ¿quid times Domine Theodore? Si vis certè ſecurus, & honoratus, & dives eſſe, in Chriſtum crede, sicut & ego credidi. Modó tu ſtas, & ego cum Episcopis* (a) *ſedeo; si tu credideris, tu ſedebis, & ego ante te ſtabo. Hos ſermones Theodorus alta*

(a) In Vatic. *cum Episcopo* legere est.

alia mente ſuſcipiens , ad nos ait : faciam quod vultis , tenete, inquit, promiſſionem hanc, ſed permittite mihi , ut prius alloquar plebem meam , ut maiorem conversionis meae etiam ex reliquis poſſim habere mercedem. Haec eius ſponsio cum inexiſtimabili cunctorum aestimatione ſuscepta eſt : alii in eum amabiliter irruentes, os ipsius, & colla mulcebant: alii ulnis mollibus amplectebantur : alii autem dexteram dexterae adiungere, & ſermonem conserere geſtiebant. Perrexit igitur Theodorus ad atrium ſuum, quolibet officio noſtrorum laetus , tamen anxietate non penitus carens. Nam licet in domum Ruben per promiſſionem ſuam iam veniretur , ingreſſus tamen & tunc trepidus erat , quia nondum ad propinquam venerat, quae eum poſt triduum materno ſuscepit sinu, & ab omni pertur- III.
batione trepidationis absolvit. Nos autem ad Ecclesiam cum hymnis ex more perreximus.
Benedictus eſt Pater misericordiarum, & Deus IV.
totius consolationis , qui dedit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lachrymarum , ut ploraremus vulneratos populi noſ-
tri. Peractis siquidem Myſteriis Ecclesiam V.
egreſſi , non minimam in occursum noſtrum Judaeorum multitudinem conveniſſe inspeximus. Omnes unanimiter deprecabantur , ut
Chriſti characterem, á me , licet indigno Pas- VI.
tore,

tore, ſusciperent. **Reversi** *itaque ad* **Eccle-**
siam, & toto corde **Domino** *gratias referen-*
VII. VIII. *tes, illicó in frontibus eorum signum ſalutis*
impinximus. ¿Quae autem cum his, qui ad
IX. *sylvas, sive ad antra confugerant Chriſti vir-*
tute geſta sint, quae lingua effabitur? prae-
X. *sertim cum unusquisque eorum conversionis ſuae*
habeat hiſtoriam. Sicut itaque impoſſibile no-
bis eſt, omnia dicere, sic ingratum, cuncta
praeterire. Quapropter unum Chriſti miracu-
lum, quod á fidelibus, probatiſſimisque viris
XI. *comperimus, precibus veſtris adiutus evol-*
vam.

§. *XIII. Duo quidam primarii Judaeorum*
Meletius Theodori frater, & Innocentius, qui
I. *Hispaniarum cladem nuper effugiens, cum fa-*
mulis ſuis ad hanc Insulam venerat, sicut nunc
II. *ipsi etiam cum Sacramentorum terribili in-*
terpositione confirmant, ad unam speluncam,
vel potius rupem convenerunt, aſſociando ſe
duobus quibusdam Judaeis humili loco ortis,
qui iſtos communis fugae principes legerant.
Igitur cum in loco eorum trepidi anhelantes-
que paululum receſſiſſent, duos illos, qui aeta-
te alacres, & audaces erant, explorandi gra-
tia ad Oppidum remittentes, ſoli dereliċti
ſunt ibi. Tunc prior Meletius. ¿Quid eſt, in-
quit, frater, quód verbum sicut docet Re-
ligio noſtra blasphemum, avellere á corde meo
ne-

nequeo? Ex quo enim fratrem meum conversum fuisse Christianorum populus inclamavit, nihil aliud in corde suggeritur, nisi hoc verbum, mihi usque ad hunc diem penitus ignoratum: Christe in nomine tuo. *Quanto magis pulsare hoc ab animo meo nitor, tanto violentius tenaciusque inhaerescit. Ad haec Innocentius: non enim frustra hic sermo, quem cor tuum, ut apud cunctos probatissimum est, antea nec cogitavit, nec unquam protulit, nunc praesertim menti tuae, ut asseris tam violenter insertus est, hoc ex* Deo *esse arbitror. Verumtamen elabora obsecro, & fabulis his declinatis, interpellationem molestae cogitationis expelle. Tunc Meletius, ita obstrepere, & confusis clamoribus personare coepit, ut eum cum sua mente luctari, non solum nutibus vultus, sed etiam totius corporis indicio Innocentius cerneret. Quod posteaquam, ne parum quidem proficere, intellexit, & adiecit etiam illud, ut verba quaedam profana, & turpia loqueretur, & nunc naribus corrugatis aerem sorbens, inhonestos strepitus promeret, nunc foetidis risibus cachinnaretur. Sed haec ab animo eius nomen* III. *Christi extinguere, nequivit insania; quia iam cunctas eius medullas sanitatis ignis pervaserat. ¿Quid ergo, inquit, Innocenti frater in contrarium verba ista vertuntur? Abolitio-*

litionem mihi nominis Christi, nec scurrilitate verborum, nec ipsis possum obscoeni sonitus extorquere blasphemiis, aliud siquidem mihi reddi sentio, quod cordis mei auribus, quas frustra obstruere nitor, Christi nomen ingerere incessabili clamore non desinit. His Meletii verbis talia Innocentius retulit: *fratrem meum Theodorum, doctrina, honore, & aetate maiorem ad Christi fidem conversum his auribus audientibus plebs christiana testata est; ¿poteritne fieri, ut etiam tu germani constrictus exemplo, Religionem Judaicam deseras? ¿Quid ergo in hac terribili solitudine diutius tempus terimus? ¿Quamdiu etiam inopia victus laborare poterimus? ¿Quid causae est, ut fame tabescamus, arescamus siti, obrigescamus algore? Ad postremum ¿quod iam patimur, nostrae huius solitudinis horribili terreamur silentio? ¿Numquid latronum vincula, numquid barbarorum gladios fugimus? ¿Numquid sanguinem nostrum plebs tam misericors, quam pro nobis flere conspeximus concupiscit? Recordemur, obsecro, quem unquam laeserit vis nostrorum, vel saltem irrogaverit iniuriam. Revertamur ad innoxios, quos in nullo laesimus inimicos, & quod Deo placuerit, fiat.* Ad haec Meletius: *Ego te, inquit, Innocenti frater, quem non solum latinis, sed etiam graecis litteris eru-*

ditum

ditum ſcio, & legem iugiter meditari, oblitum reor quod per Ezechielem Dominus ait: Cap. 12.
Anima, quae peccaverit, ipsa morietur. *Si enim legiſti hoc ¿ cur me fratris mei Theodori exemplo, attrahi poſſe ad fidem Chriſti exiſtimas? Habet ille animam ſuam, ita & peccatum ſuum, quod quidem peccatum mihi, si Dominum Deum non derelinquo non nocebit. Teſtor autem illum, qui eduxit Patres noſtros de terra Aegypti, me, si hyemis violentia non obeſſet, abrepto quocumque navigio, ad quaslibet terras ſolum velle migrare, nec me poseſſionum amor, nec affectuum caritas, detineret, quorum facilis mihi iactura eſt, tantum ne Deum Patrem meorum negare compellar. ¿Quód autem consilio inutili, ad Civitatem remeandum decernis, miror te prudentiſſimum virum, non animo praevidere quid de nobis futurum censeas si Theodorus, columna Synagogae noſtrae, in quo omnem fiduciam reponebamus apoſtatare compulsus eſt? Hoc ergo ſanius eſt ut eamus ad agrum meum, nec nos ultra Chriſtianorum oculis ingeramus. Poſſumus enim illic interim delitescere, donec oportuno tempore ad peregrina emigremus: quandoquidem in hac Insula ita apud cunctos odium noſtrae religionis increvit, ut qui Patriam non reliquerit, fidem Patrum tenere non poſſit. ¿Cur igitur*

IV. (margin, beside "nocebit. Teſtor autem illum, qui eduxit Pa-")

non

non voluntarium ſuscipiamus exilium, ad quod, sicut res indicat, odiis Civium, etiamsi nolumus, deſtinandi ſumus? Hoc igitur consilio utriusque ſententia confirmata, laborem deſtinati itineris arripiunt. Sed dum per anguſtiſſimum ingrediuntur callem, cogitationum tenebris lucem obcoecantibus oculorum, ipsum quem inscii ſequebantur, tramitem perdiderunt, & in locis desertis, atque in viis
V. *remansere. Cum autem ſcinderentur ſentibus, ac vepribus lacerarentur* (a), *poſtquam corpus ſuum longis foedavere vulneribus, ad tantam primo quidem anxietatem, deinde etiam desperationem, atque formidinem venere, ut compellerentur fateri, ſe ea iuſto Dei iudicio, ob incredulitatem perpeti. Igitur nomen Chriſti, quod antea ſe ultró ingerens repellebant, laceratis iam cruribus invocantes, ſemitam, quae eos contra voluntatem ac propositum ſuum ad Oppidum traxit, corripuerunt. Sed cum ad Civitatem inviti, ac trepidi pervenerunt, curiosius omnia percunctantes, audierunt Theodorum etiam nunc Judaeum eſſe, nec ullam, sicut exiſtimaverant, populi Chriſtiani pertuliſſe violentiam.*

Stu-

(a) Vatic. *scinderentur vepribus, aut rupibus arcerentur.*

Stupentes autem, & quod ipsis acciderat, non credentes, ad domum Theodori iter dirigunt, ubi cum eos iam penè exacto prandio ille excepiſſet, illicó inquirit causam, ¿ cur à se, & á Civitate abscеſſiſſent?, universumque ordinem geſtae rei, magis cum risu, quam cùm admiratione cognoscit.

§. XIV. Poſt triduum Theodorus, cum concionari ad plebem ſuàm, eamque ad fidem Chriſti provocare disponeret, ultró ſe offerentium ad confeſſionem Judaeorum etiam ſeditionem pertulit. Nemo enim eorum fermé erat, qui non ſe palam ſensiſſe Chriſti potentiam conteſtaretur. Nam primo in concilio eorum adolescens quidam, ipsius Theodori consobrinus, nomine Galilaeus (ut congruum, sicut dictum eſt, nominibus myſterium geſtae rei usque ad finem deduceretur) cùm ingenti invidia proclamare hoc coepit: Conteſtor, inquit, vos omnes, me Judaeorum eſſe non poſſe in poseſſione, siquidem in ea Chriſtianos consortes habeo, quorum odiis, si in Judaismo perseverare voluero, forsitan perimendus ſum. Ego igitur, vitae meae periculo consulens, ad Ecclesiam iam pergam, ut necem, quae mihi paratur effugiam. Haec Galilaeus, cum ad tempus fugae ſe pararet, quasi ut causas conversionis ſuae reddidiſſe videretur, de futuri ſeculi morte tunc nihil

I. *cogitans, veritatem inscius loquebatur. Huic
ſermoni penè praeteriens vir honeſtus, & non
ſolum inter Judaeos, verum etiam in Civi-
tate usque adeo praecipuus, ut etiam nunc
Defensor Civitatis electus sit, Caecilianus,
vera Galilaeum dicere, ſeque similem habe-
re causam, similia formidare, atteſtabatur.
Quibus verbis tantam ſupra memorato iuve-
ni adiecit confidentiam, ut in conspectu om-*
II. *nium cursu rapidiſſimo, ad percipiendum fi-*
III. *dei bravium, ad Galilaei noſtri convolaret
auxilium, & ab humilitate noſtra, ut eius
deinde nomine censeretur, expeteret. Caeci-
lianus autem cum eſſet Judaeorum Pater,
habito cum Florino fratre ſuo, aequè Judaeo-
rum Patre ſeniore consilio, huiusmodi sicut
agnovimus, verbis Synagogam adorsus eſt.
Ego, inquit, cum sim in honore Synagogae
poſt Theodorum primus, non sicut iuvenis
Galilaeus, cunctos, quasi trepidus, consulo,
conteſtorque, ſed potius adhortor, atque com-
moneo, denuntians, ut errore pravi itineris
derelicto, si fieri poteſt, omnes pariter ad fi-
dem Eccleſiaſticam concurramus. Quod si vos
ad Chriſtum tanta virtus non attrahit, ego cer-
tè, & Florinus frater meus, sicut recusan-
tibus vobis tantam ſalutem vim inferre non
poſſumus, ita nos cum universa domo noſtra,
religionis huius, quam adſtruere non vale-
mus,*

mus, ludibria deserentes, Christianorum numero, fideique sociabimur, qui numquam utique innumerabilibus Scripturarum testimoniis non solum te, frater Theodore, qui peritior reliquis videris, sed etiam cunctos convincerent, nisi veritatem, quae vinci non po- IV.
test, sectarentur. Tali Caecilianum sensu ple- V.
bem suam affatum comperimus, multosque Judaeorum eadem die ad fidem Christi cum ipso concurrentes, cum ineffabili exultatione suscepimus.

§. *XV.* *Prodigia sané, quae de coelo tunc facta sunt, sicut eloqui dignè non valeam, silere non audeo. Hora circiter septima, Mis-* I. II.
sam Dominicam solemniter coepimus celebra- III.
re. Nam dum nos advenientes ad Christi fidem Judaeos, vel exhortamur, vel adnotamus (siquidem nomina eorum scripsimus); po- IV.
pulus autem tanti gaudii epulis saginatus, carnalium non meminisset escarum, pars diei maior excurrerat. Cum igitur in Ecclesia, quae paululum á Civitate, sequestri in loco V.
sita est, in qua Sancti Martyris Stephani, VI.
nuper reconditae Reliquiae conquiescunt, nobiscum pariter plebs universa, Missam opperiebatur: duo quidam Monachi, quos Domi- VII.
nus testes suorum miraculorum praeelegit, in campo, qui ante fores Ecclesiae protenditur, in herbis accubabant. Vir autem honoratus,

Ju-

Julius nomine, cum alio quodam de Civita-
te Ecclesiam petens, cum per ipsos pertran-
sire coepiſſet, respondente uno ex Monachis,
viso mirabili signo conturbatur, confusumque
emiſſit clamorem, conversusque ad ſe, pro-
tensa manu quae verbo explicare non pote-
rat quid videret oſtendit. Erat globus qui-
dam candidiſſimi luminis, proceritate sua
VIII. ſtaturam quasi hominis adaequans, inſtar vas-
culorum, quae vulgó orcae appellantur, tan-
tae vero claritatis, & fulgoris, ut visum
IX. fuit, quod fratri, qui id prior notavit, si-
cut ipso referente cognovimus, sol decidere
videretur. Hoc sicut iſtis visum eſt, quasi
X. trans basilicam, in qua universus nobiscum
populus consederat, lento lapsu demittebatur;
verum ita propinquum putavere, ut ſe idem
frater ſtupore percitus cursu praeriperet, exis-
timans id poſt basilicam decidiſſe. Sed ab illo
retractus fratre greſſum inhibuit: ille enim
ita quidem etiam sibi visum, tamen longius
fuiſſe, non quasi certus, ſed ut aeſtimans
adſtruebat. Mulieres autem quaedam tunc Ju-
daeae, inter quas matrona Meletii illius, cu-
ius ſupra mentio habita eſt, de coenaculo
perspicientes (a) ita sibi visum id ipsum affir-
ma-

(a) Al. *respicientes*. Vatic. Palat. *prospicientes*.

mabant, quasi ſupra Basilicam decidiſſet. Verum hoc utrum Angelus, an ipse Stephanus, quod visum eſt, fuerit, incertum eſt. XI.
Eadem die, hora circiter quarta, id eſt paulò antequam hoc signum demonſtraretur, grando minutiſſima, quam incolae Insulae illius
(a) gentili ſermone Albigiſtinum (b) vocant, non usquequaque copiosa defluxit. Haec, XII.
cum odor ex ea mellis fragrare coepiſſet, á multis, quos per viam verberabat, guſtata, dulcior melle comperta eſt. Multi itaque ſapientes, cum eadem die filios Israel ab Aegypto perfidiae ſuae, atque è ſervitute egreſſos XIII.
viderent, haec quae facta ſunt, signis illis, quae in Exodo legimus comparabant, ut huic XIV.
populo, qui Deum credulo corde intuens, verum etiam Israelis nomen meruit, manna crederent innovari. Columnam quoque ignis, quae Patres in eremo praecedebat, ut etiam filiis á vera Aegypto, atque fornace, sicut ſcriptum eſt, ferrea egreſſis, ducatum praeberet ad vitam, oſtensam fuiſſe exiſtimarunt. Et XV.
revera, sicut lectione Exodi atteſtatur, similitudo signorum minimè discrepat. Nam & illud, quod nivem fuiſſe credidimus, ſemen co- XVI.

(a) Rectius Vatic. & Palat. *Insulae huius.*
(b) Palat. Vatic. *Argistinum.*

coriandri minuti adaequabat, mellis ſaporem ferebat, & hoc quod apparuit, columnae igneae ſpeciem habuiſſe, manifeſtum eſt. Utrumque autem signum etiam Jammonae consiſtentibus fratribus revelatum fuiſſe cognoscimus. Nam & pluviam mellis multi, quibus intellectus requirendi, & perguſtus agnoscendi datus eſt, probavere, & columna candidiſſimi illius luminis multorum, quos dignos Dominus iudicavit, ſe ingeſſit aspectibus. Unde intelligi datur Judaeos per universum orbem fidei lumine visitandos, quoniam quidem no-
XVII. *bis qui in hac Insula, atque in hoc parvulo, ut ita dixerim orbe consiſtimus, tantus coeleſtis gratiae ſplendor illuxit, ut usque ad extremos terrae veſtrae terminos signorum visio perveniret.*

§. *XVI. Sequenti igitur die ſumma omnium expectatio, ut Theodorus ſponsioni ſuae ſatisfaceret admonebat, qui cum iuſtis, quantum videbatur, allegationibus, cunctorum vota crederet differenda, dicens matronam prius ſuam, quam in Maioricensi reliquiſſet Insula, húc ſe velle deducere, ne forté si absque consensu ſuo virum ſuum conversum fuisse agnoviſſet, sicut ſolet, pertinax perfidia eſſet, persuaſſione matris praecipuè ſuae, quae adhuc ſupererat, & consiliis dementata, & à*
I. *coniugio viri religione discederet. Cum haec Theo-*

Theodorus Christianis iam adquiescentibus propalasset, Judaeis qui conversi fuerant acerrima commotione resistentibus, amputata ditionis mora, ad Matris propinquae sinum, festinus ipse, ut in somnis viderat, convolavit. Post quem omnis, tamquam remoto obice II.
ad Ecclesiam Synagoga confluxit. ¡Mirum dictu! Inveterati illius legis Doctores, sine ulla altercatione verborum, sine ullo Scrip- III.
turarum certamine, crediderunt, tantum percunctati ¿an vellent fidem Christi suscipere?; credere se in Christo, & Christianos fieri cu- IV.
pere profitebantur. Centum quidam, & duos V.
(ut asserunt) aetatis, atque perfidiae suae habens annos, sine trium commutatione verborum, spe futurae vitae, alacer decrepitus, VI.
optare se, ut in fine temporum suorum, per fidem Christi, ad spiritualem reverteretur in- VII.
fantiam, nobisque putrefacta iam senio membra, ut quantocius per Baptismum regene- VIII.
raretur ingessit.

§. *XVII. Fuerunt quidam Judaei, qui praetereuntes illuc appulsi, opportunitatem temporis, atque ventorum aucupabantur, qui navigandi concessa opportunitate, credere maluerunt. Tres igitur tantum foeminas, sed nobilissimas Judaeorum, ad virtutis suae gloriam dilatandam, in duritie perfidiae suae Christus permanere aliquantulum passus est.*

Ar-

I. *Arthemisia siquidem Lectorii* (a), *qui nu-*
II. *per hanc Provinciam rexit , & nunc Comes*
eſſe dicitur , filia , Conjugis Meletii conver-
sione commota , cum una fermè amica , &
nutrice , & paucis ancillis , domum viri ſui
deserens , ad quamdam ſpeluncam, licet in vi-
nea , tamen remotiore paululum in loco sita,
oblita foemineae infirmitatis evasit. Erat in ea
parvum , novumque torcular , lacusque novus
factus , figuram quodammodo gerere credentis
III. *populi videbatur* (b). *Non enim iſtos sicut*
IV. *utres veteres , ſed sicut novos lacus , muſtum*
novi Teſtamenti recepiſſe , & credimus , & vi-
demus. In eo igitur loco , cum per biduum
matrona á viro ſuo offensa inexorabilis per-
mansiſſet , ut primum tertia dies illuxit, fa-
mulae aquam haurire imperavit , quam cum
odore , & ſapore mellis dulcedinem referre
ſensiſſet , primó quidem miniſtrae ſuccensere
coepit, ¿ & cur in eodem urceo mel iniecisſet?
indignans inquirebat. Poſtquam autem , ut
quasi negantem convinceret , ad lacum pergit,
de quo paululum concavis manibus hauriens,
reperit aquam (c), *qua per biduum usa fue-*
rat,

(a) Al. *Lectorii.* Vat. Palat. *Ittorii.*
(b) Abest á Vatic. Palat. *credentis populi.*
(c) In Vat. utroque exemplo haec interiecta: *ex eodem loco,quae illic ante id temporis ex pluvia confluxerat.*

rat, in mellis ſuaviſſimi versam dulcedinem.
Advocans itaque cunctas, quae aderant, ut
guſtarent rogat, ne fortè fallax ſapor in
faucibus tantum ipsius ſuavitatem mentiretur.
Omnes guſtantes mira oblectatione affectae
ſunt, ut non aquam mellis ſapore delibu-
tam, ſed mel sinceriſſimum, ſolum aquae si-
militudinem censerent. Stupore igitur perci-
tae, dum ad Civitatem reverti parant, cu-
riosius agentes, etiam rorem, qui in herbis
plurimis erat, deguſtatum, similem repererunt.
Pergens igitur ad Civitatem matrona memo-
rata haec marito detulit, & per eum om-
nibus indicavit, ſtatimque ad Chriſti fidem
sine reluctatione consensit. Verum eadem die,
qua Meletii uxor amaritudinem incredulita-
tis abiicere, ex melle compulsa eſt, eadem
inquam die, qua memorata filia Israel, qua-
si in deserto posita, illum antiquum Mara V.
lacum, iniecto Crucis ligno obdulcescere per-
sensit, ita mirifico, verèque coeleſti omnis VI.
Ecclesia odore fragravit, ut praesentiam Spi- VII.
ritus Sancti, quam & ante iam aliquoties,
ſed pauciſſimi ſenseramus, fraternitas penè VIII.
universa ſentiret. Et mirum cunctis illud fuit,
quod per eosdem dies, ſerena (a), prope-

R mo-

(a) Vatic. Palat. *serenitate.*

modum iugiter permanente, creberrimi imbres demittebantur, & paulatim venientes ad fidem Christi Judaeos pluvia praecedebat, ita ut hoc animadvertentes, vulgó inter nos, & iocülariter diceremus: Ecce iam pluit, *scitote, quoscumque Judaeos ad Christi fidem accessuros. ¡Mirum dictu! Frequenter dum adhuc talia loqueremur, á quibusdam Judaeis*
IX. *fidei ianua pulsabatur. Nec immeritó, sicut*
X. *scriptum est:* Pluviam voluntariam segrega-
Psalm. 67. bit haereditati suae Dominus (a). *Desuper*
XI. *erant foeminae, quae in odorem unguentorum Christi currere recusabant.*

§. *XVIII. Innocentii illius, cuius supra fecimus mentionem, matrona, cum prole sua, venerabilis, sicut fama est, vidua, illicó ut Innocentium, sororis coniugem, conversum esse conspexit, navim conscendit, non solum permittentibus, sed suadentibus nobis, quia ad fidem Christi nec verbis, nec miraculis flecteretur. Uxor autem Innocentii,*
I. *per quatuor fermè dies verbum salutis, quod ingerebamus, obduratis auribus recipiebat. Haec cum*

(a) In Vatic. Palat. haec desunt: *haereditati suae Dominus.* Sed & in eodem, & Vat. alio exemplo haec addita: *crediturum populum imbres laetissimi nuntiabant.*

cum omnem respuens medicinam, insanabili II. III.
incredulitatis valetudine opprimeretur, nullisque Innocentii coniugis, vel minis, vel precibus, vel lacrymis moveri posset, universa, Innocentio rogante, ad domum, in qua habitabat, fraternitatis multitudo convenit, habens magnum dolorem animi quód tantae laetitiae plenitudini una mulier obsisteret, quia iam soror eius manifesté putabatur. Cum igitur cassa verba surdis auribus ingerentes nihil profecissemus, ad cognitum orationis praesidium convolavimus, precesque, quas humana repellebat impietas, ad coelestem misericordiam vertimus. Itaque usque in horam
tertiam fermé hymnorum, & orationum prae- IV.
liis adversus Amalec hostem (a), *Jesu* D*u-* V.
cis nostri, sudavit exercitus. Inde cum iam IV.
pené, quod fatendum est, desperantes abscessionem moliremur; resumptis rursum viribus,
orationem cunctis indiximus, soloque strati diu VII.VIII.IX.
flevimus, & cum in consummatione orationis
Amen *populus acclamasset, & illa credere* X.
se, & Christianam fieri velle, subiunxit. Nos
itaque, hac etiam á Diaboli laqueis eruta, XI. XII.
laeti ad habitacula nostra perreximus.

§. *XIX.*

(a) Vatic. *hostem populi Dei.*

§. *XIX.* *Sequenti, id eſt octava demum die, qua veneramus Jammona, remeare ſtatuimus, optima* (a) *praeclarae victoriae gaudia reportantes. Sed cum iam in procinctu itineris conſtituti, Civitate digrederemur, Do-*
I. *minus populo ſuo, quasi pro viatico, gaudium, quod ſolum deeſſe videbatur, adiecit. Affinis siquidem Innocentii illa vidua, de pelago reducta eſt, quae ſubito ſe meis genibus advolvens, fidei noſtrae auxilium cum lacrymis deprecabatur. Cui ego: ¿ cur inquam Mulier tanta animi levitate fratres tuos de-*
Jon. cap. 1. *serere voluiſti? Ad haec illa: et Jona, inquit, Propheta á facie Domini fugere voluit, & tamen voluntatem Dei, licet invitus implevit. Suscipe ergo tu, non ſolum me, ſed & iſtas orphanas, & Chriſto eas nutri. Et hoc miserabiliter acclamans, duas filias ſuas parvulas mihi cum ſletibus ingerebat. ¿ Quis non prae gaudio flevit? ¿ Cui non extorsit la-*
II. *crymas laetitiae magnitudo? Suscepi planè ovem, quam ex omni numero ſolam erraſſe*
III. *putabamus, eamque cum gemino foetu, ad*
IV. *Chriſti ovilia revocavi.*

§. *XX.* *Sané per hos octo, quibus haec ges-*

(a) Vatic. *opima.*

gesta sunt, dies, ante initium Quadragessimae, Paschae à nobis celebrata est festivitas: quingentas siquidem, & quadraginta animas ad Ecclesiam constat adiectas. Inane autem, & supervacaneum non reor, ut cum multa propter infinitam copiam praetermissero, in fine commemorem, neminem ex tanta Jammonensis Populi multitudine, qui per triginta millia passuum ante tot dies venerat, aut curam domus, aut provisionem substantiae, aut desiderii affectum, huic operi praetulisse. Illud magis mirum, magisque gaudendum est, quod ipsam Judaicae plebis terram, diu inertem, nunc autem recissis incredulitatis vepribus, & recepto verbi semine, multiplicem fructum iustitiae germinare conspicimus; ita ut nobis in spe tantorum novalium gaudeamus, unde insignem perfidiae eruimus sylvam, illic fertilissima fidei opera pullulare. Primum enim ipsa Synagogae fundamenta evertere, deinde ad novam Basilicam construendam, non solum impendia conferunt, sed etiam humeris saxa comportant. I. II. III. IV. V. VI. VII.

§. *XXI.* *Haec Beatitudo vestra die quarto nonarum Februalium, virtute Domini nostri Jesu-Christi arrepta, octo diebus ab eodem consummata esse cognoscat, post consulatum Domini Honorii undecimum, & Constan-* I. II.

tantio iterum victore (a). *Quamobrem, si*
III. *indigni, & peccatoris verbum dignanter admittitis, zelum Christi adversus Judaeos, sed propter Deum, eorumque perpetuam sa-*
IV. *lutem suscipite. Forsitan enim iam illud praedictum ab Apostolo venit tempus, ut plenitudine gentium ingressa, omnis Israel sal-*
V. *vus fiat. Et fortassè hanc ab extremo terrae scintillam voluit Dominus excitari, ut universus Orbis terrarum charitatis flagret incendio* (b).

(a) Vatic. Palat. & *Constantii Viri clarissimi.*

(b) In Vatic. & Palat. Codd. adiectum *ad exurendam infidelitatis sylvam.*

IN SEVERI EPISTOLAM ANIMADVERSIONES.

I. EPISTOLA SEVERI cet. | Severianae lucubratiunculae apud Benedictinos é Congreg. S. Mauri, quod in Baronio desideratur argumentum. E *Lib. I. & Cap. I. de Miraculis Sancti Stephani* excerptum vix addubito. Minus recté in Vatic. M. S. sic ea inscripta est: *Incipit Epistola Severi Episcopi de laudibus, & miraculis S. Stephani Protomartyris.*

II. *Sanctissimis, & Beatissimis Dominis Episcopis* | Epistolarum, quae ad Ecclesiasticos Praesides Christ. Seculis IV. & V. dirigebantur, eiusmodi, planéve simillimae Inscriptiones erant: *Beatissimo Domino: Domino beatissimo*: Domino *beatissimo, & sincera charitate venerando*: *Dominis beatissimis*: *Domino verè beatissimo, & Sancto Patri*: *Beatissimo semper & venerabili Patri.* Missas faciam in Synodorum Collectiones translatas. Videsis Aviti *ad Balchonium* iam laudatam, Basilii *ad*

Epis-

Episcopos Occidentales XXVIII. al. 62., Paulinianas (*Edit. Paris. anni MDCXCV.*) *ad* Delphinum XIV. *aliis XVIII. XIX. al.* 17., *XX. al.* 16., *XXXV. al.* 19., *ad Victricium XVIII. aliis* 28., *ad Florentium XLII. al.* 32., Salviani *ad Salonium* (*Stephano Baluzio IX.*), Eucherii de Martyribus Agaunensibus, & Vigilii Tridentini Praesulis à Ruinartio (*p.* 241. & 535. *Edit. Veronens. anni MDCCXXXI.*) descriptas. Plurimas vel in una Augustini Epistolarum Sylloge reperies, qui & celebri in illa Cartaginensi Collatione, cuius erat pars maxima, tanto Donatistarum columina, quòd Episcopatum gererent obsequio prosequutus est, ut *Sanctissimum* Emeritum, *Sanctissimum* Petilianum appellarit.

III. *Diaconibus* | ¿Viden ut hierarchicis dumtaxat Ordinibus inauguratos Severus dissertè commemoret? Neque à superioris, neque á suae aetatis more transversum unguem discedit. Synodi Antiochenae in causa Pauli Samosateni habitae Episcopos, Presbyteros, Diaconos ad Dyonisium R. P. „ & ad omnes qui per universum orbem erant Sacerdotes, & Episcopos, una cum Presbyteris, & Diaconibus, omnemque Ecclesiam Catholicam, quae sub coelo" erat, litteras dedisse, Eusebius (*Hist. Eccl. Lib. VII. Cap.*

25.)

25.) memoriae prodit. Cyprianicae ad Clerum cum Carthaginensem (*Edit. Baluzianae*) *VII. IX. XXIV. XXXII.*, cum Romanum *XXIII.* sic inscriptae „ *Presbyteris, & Diaconibus.* Ad Clerum vero, plebemque *Carthaginensem*, & *Furniensem XXXIII.* & *LXVI.* in hunc modum: *Presbyteris*, *& Diaconibus*, *& plebi* cet. Et Augustinianum illud *Epiſtola CXXVIII. Dilectiſſimis Fratribus, conclericis, & universae plebi*, de ſupremis tantum ordinibus intelligendum esse, non verisimile, ceu Thomassinius (*P. I. Lib. I. Cap. LIII.*) arbitratur, ſed mihi feré certum eſt. Hanc demum *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, qua nulla forsan magis usurpata fuit, Epiſtolarum ab illis inscribendarum formulam refert: „ Episcopis, Presbyteris, „ Diaconibus, & plebi consiſtenti N. " Haud ſecus res ſe habere poterat. Quamquam enim Hypodiaconatus primordia, contra quam iunioribus videatur, sive à Chriſto Domino, sive ab Apoſtolis repetenda essent, quorum illud plerisque (Conf. Bened. XIV. de *Syn. Dioec. Lib. VIII. C.* 9.) iſtud Catholicae fidei Athletis Baronio (*ad an. XLIV. num.* 78.), & Bellarmino (*de Clericis Lib. I. c.* 1.) placuit; tametsi apud Sec. III. PP., Latinos potissimum, quin & in Veterum Christianorum Inscriptionibus à Cl. Zacharia (*cit.*

S *Dis-*

Dissert. Cap. VII. num. 21.) indicatis crebra de Subdiaconis mentio sit , Ecclesiasticarum administrationem rerum nunquam iisdem demandatam, aditum neque in Presbyterium, neque in Secretarium patuisse, multis post Severum denatum seculis, *sacro* ut hodie loquimur *ordine* Subdiaconos decoratos, & ut paucis multa complectar, quae ipsorum essent partes, quae vel *tertio Sacerdotio*, in quo nimirum *Diaconos constitutos* Optatus Milevitanus (*Lib. I.*) Autor est, insignitis munia iniuncta qui ignoret, in Religionis historia hospes omninó sit necesse est.

IV. *Universae fraternitati totius orbis terrarum* | Ad omnes quantum ubique gentium esset hominum Christianorum id genus Epistolas dirigi solemne fuisse, ut hac quoque ratione, lubet cum doctissimo Cabassutio (in *Notit. Eccles. Concil. Dissert. VII. Sec. II. Historiae* subiecta) loqui „ admirabilis „ illa fidelium toto terrarum orbe in unitate „ fidei, in officiis charitatis, in sanctitate dis- „ ciplinae communio ostenderetur," Ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi (ap. Euseb. *Lib. IV. Cap. XV.*) Lucianea saepe laudata, Prailii, sive Joannis Jerosolymitani Antistitis, de qua Ursius (*Hist. Eccles. Lib. XXVI. n.* 61.) multa satis, Paulini Bituri-

cen-

censis Praesulis ab Idatio (*in Chron. ad an. CDXIX.*) memorata, aliae plané monſtrarent. Et ea propter Enciclicas inter Epiſtolas Severianae á plerisque locus jure datus, non ut Dameto placuisse video (*Lib. I. Tit. III.* §. 1.) quòd in publicis concionibus recitaretur: alioquin Enciclicae itidem dicendae cum Clementis Romani ad unam Corinthiacam, cum Polycarpi ad Philippensem tantum Ecclesiam datae, quarum altera Dionysio Corinthiorum Antistite (ap. Euseb. *Lib. IV. Cap.* 23.), Eusebio ipso (*Lib. III. Cap.* 16.), & Hieronymo (*in de Script. Eccles. cap.* 29.) teſtibus, in nonnullis locis, altera ut ab eodem Hieronymo (*cap.* 27.) accepimus in Asiae conventu publicé legebatur; quin & Ignatianae fortassis ad Polycarpum ipsum, & Smyrnaeos, de quibus indicata in Epistola (ap. Euseb. *Lib. III. cap.* 36.) Beatus ipse Polycarpus: „ Mittam vobis, & „ Ignatii Epistolas, quae ad nos transmis- „ sae ſunt, ex quibus utilitatem maximam „ capiatis, " in *Enciclicis* annumerandae essent. Pauca addito. Tacitus licet praeterirem Servatoris discipulorum fratrum vocabulo ornandorum morem, á Jesu-Chriſto, qui ut Pauli (*ad Hebraeos cap. II. vers.* 11.) verba mea faciam: *non confunditur eos vocare fratres* profectum, à Tertulliano (*Apolog. cap. XXXIX.*)

XXXIX.) gravissimé vindicatum, aureis Ecclesiae temporibus in deliciis fuisse, quod vel ex legitimis Philippi Heracleensis (*num.* 2.), Theodoti (*num.* 21.), Cyrilli pueri (*n.* 1.), Montani (*num.* 1. & 10.), Pionii (*n.* 1.), Martyrum aliorum Actis, é *Luciferae* Epitaphio, Sacrisque aliis lapidibus paret satis: ad sequiorem manasse aetatem, cum Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Anonymus Uzalensis, multis in locis, Avitus (*Epistola citata*), tum Liturgici Codices, quorum apud Marteneum (*in de Antiq. Eccles. Ritibus*) pleno copia cornu, luculentissimé ostendunt. Nobile divinorum Librorum Interpretum par, Pineda (*in Jobi cap. I. v.* 20.), & Lorinus (*in Act. Apost. cap. I. v.* 15.) conferendum. Optimo itaque consilio *fraternitatis* suavissimum nomen in Christianorum hominum societate Severus ponit, quod Apostolorum Princeps (*Epist. I. cap.* 5. *v.* 9.), Tertullianus (*lib. de Velandis Virginibus paulo post initium*), Cyprianus (*Epist. XL.* & *in de Unit. Ecclesiae*), Pontius (*in Cypriani vita*), Sixtus III. P. M. (*Epist. II.*), Firmilianus (*Epist. LXXV. inter Cyprianicas*), Augustinus (*Tract. II. in Epist. I. Joan.*), Paulinus (*Poem. XXI. v.* 311.), qui SS. Mariani, & Jacobi Acta ad posteros transmisit (*num.* 10.), alii, in eadem posuere. Fortassis,

sis, & *Fraternitatis* vocabulo *Laicos á Clericis* distinguere Severus voluit, quo ſané pacto insigni illa in Inscriptione ex Flewtoodio, aliisque á Zacharia (laud. *cap. VII. n.* 1.) recitata diſtinctos recordamur.

V. *Severus Episcopus* | Neque Ecclesiasticis Viris, quo munere Sacra in Republica potirentur, ſuarum in aditu Epiſtolarum commemorare insolens, quod cum ab Auguſtino, cum ad Auguſtinum bené multae, Ambrosii ad Theodosium, & Valentinianum (*Erasmo XXIX. XXX. XXXI. XXXII.*) Lucianea, & Aviti ſaepè numero laudatae, Innocentii I. R. P. *ad Joannem Jerosolymitanum Episcopum*, aliae ad alios datae manifeſtant.

VI. *Misericordia Dei indigens* | Equidem poſt Synodos adversus Pelagianos, annis CCCCXV. & CCCCXVI. habitas, qui tunc Ecclesiae, ſumma cum poteſtate praeerat Innocentius I. *nefandi erroris capita* (Pelagium, & Coeleſtium) *Apoſtolico mucrone percussit*, ut Prosper (*Lib. contra Collat.* c. 21.) totidem verbis dixit, & *duo illa Concilia missa ad Sedem Apoſtolicam* inde iam *rescripta* venerant; quapropter *causam finitam* esse B. Auguſtinus (*Serm. CXXXI. al.* 2. *de Verbis Evangel.*) nullus addubitabat. Sed vixdum *Successor Innocentii Sanctus Papa Zosimus* Pontificatum auspicatus est, cum proelium

lium in Reparatoris gratiam redintegratum eſt, atque ita vividé, ut eodem anno, quo iſtam Severus, *Tractoriam*, de qua Marius Mercator (*Commonit. II. cap.* 3.), Zosimus ſuam dederit, qua nimirum, iuvat iterum Prosperi verba (*loc. cit.*) mea facere: „ Afri„ canorum Conciliorum decretis ::: Sententiae „ ſuae robur annexuit, & ad impiorum de„ truncationem, gladio Petri dexteras omni„ um armavit Antiſtitum." Apposité igitur ad hunc Severi locum Baronius: „ Intelligis con„ suetum huius temporis symbolum Catho„ licorum, qui ut se longè abeſſe à Pela„ giana ingruente haeresi demonſtrarent, *se* „ in ipso titulo *gratia*, *&* *misericordia Dei* „ *indigere* profitentur." Enim verô non heic tantum, iisdemque, quibus Lucianus gratiae infensiſſimum hoſtem Praesul noſtras adoritur; ſed etiam, quoniam Epiſtolaris angustia vagari longius non patiebatur, cursim illarum ſe partium eſſe aſſiduò indicat, quas aere triplici, & prorsus impenetrabili, Dei verbo, Ecclesiaſticis quà Canonibus, quà precibus, mira PP. consensione tectas, qui pro divinorum auxiliorum neceſſitate erudiriſſimé, invictiſſiméque decertant, quique omnium manibus teruntur fateri vel invitos maximé cogerent. Confersis illa (*è num.* 2.) *divina virtute compulsa* cet., (*è num.* 5.)
Chris-

Christum : : : *omnia suis virtutibus consummasse* , (é *num.* 12.) *Christi virtute gesta sunt*, (è *num.* 17.) *ad virtutis suae gloriam dilatandam* cet. (è *num.* 21.) *virtute* : : : *Jesu-Christi arrepta* cet, & quae ad ejusdem verba cum in *Christo Redemptore nostro* (paulò post), cum ad tó *peccatoris* (*num.* 21.) adnotabimus.

VII. *Et omnium ultimus* | Non egregia minus, quam luculenta humilitatis (sinito me christiana magis quam latina uti vocula, & permittent sané Latiniores interdum nostra loqui) Severus exibebit. *Se non pro merito* : : : *Sacerdotio fungi* (*num.* 7.), *indignum se pastorem* (*num.* 12.), Appollonium Nepotianum, Amosium, infinitos alios imitatus, conceptis verbis affirmat. *Indigni* dein, & *peccatoris* nomina (*num.* 21.) sibi indit, quorum alterum é Liturgica disciplina Sacerdotibus familiare esse, vel ex innumeris Veteribus Ordinibus à Marteneo descriptis constaret prorsus: alterum, ut eos mittam, quos (ad Tertulliani *lib. de Poenitentia extremum caput*) Ludovicus Cerda appellavit, ab Ephroemis Antiocheno Praesule, & Edesseno Diacono (saepè numero) à Savino (*in* eius *Actis in Miscellan. Baluz. Tom.* 1. *Edit. laud. n.* 9.), Hieronymo (in *Vitae Pauli Eremitae clausula*), Vigilio Tridentino Antistite (*Ep.* *indi-*

indicata), Paulino (*Epiſtolis XXXIX. al.* 30. *XLIII. al.* 35. *XLIV. al.* 31.), quin & á plerisque Episcopis Synodis Turonensi II. Parisiensi III., & Toletanis ſubscribentibus sibimet ipsis impositum. *Inſtructione ſe egere* (*num.* 5.), *ab humilitate ſua* Coecilianum baptismum expetiisse (*num.* 14.), ſecundum *possibilitatis suae modulum ſuscepti certaminis curam habuisse* (*num.* 5.) dicet, quemadmodum ſe *parvulum* (Epiſt. *ad Pammach.*) Hieronymus, ſe *infirmum* Auguſtinus (*Tract. XXXVI. in Joan.*), ſe *humilem, & pusillum* Theodorus (Epiſt. inter Leonianas Edit. Cacciar. 212.), se *exiguos* Petrus Diaconus, eiusque in Romano itinere pro fidei causa ſocii (*Epiſtola*, quam in II. *Partem Varior. Scrip. & Monumentorum ad Pelagianorum hiſtoriam pertinentium* Operum S. Auguſtini Editores Benedictini tranſtulere), ſe *pauperem* Paulinus (*Epiſt. XXX. al.* 8.), & (*in Nat. IV. de S. Felice, sive Poem. XV. v.* 43.) *partem hominum minimam* vocavere: *humilitatis ſuae* Optatus Milevitanus (*Lib. I. cap.* 4.), *pusillitatis ſuae* Lucianus (*Epiſt. cit.*), *imperitiae ſuae* Licinianus (*Epiſt. ad Gregorium Magnum apud Baluz. Miscellan. Lib. VI. Edit. Paris.*), Rufinus (*Epiſt. ad Chromatium de Eusebii Versione*), Uranius (*Epiſt. de Obitu Paulini*), *tenuitatis inge-*

nii

nii sui Cassianus (*Praefat. ad Collat.*), *exilis ingenii sui* Ruricius (*Epist. Lib. I.* 10.), *pusillitatis intelligentiae suae* Lactantius (*de Opificio Dei c.* 1.) mentionem iniicere gloriae sibi duxere. Verum prae *omnium ultimi, & peccatorum ultimi*, queis (*heîc*, & *num.* 7.) sese ornat praeconiis divitis Indiae gaza eidem sorduisset, cum Pauli ad Timotheum (*Ep. I. c.* 1. *v.* 15.), cum Ignatii *ad Ephesios* scribentium vestigiis insistenti, quae & Cyprianus (*Lib. de Hab. Virgin. init.*) *extremum se*, & *minimum*, & Possidius (*Vitae Augustini* initio) se *dispensatorum omnium minimum*, Uzalensis (*in Praefat.*) se *peccatorum ultimum*, Salvianus (Librum primum *adversus Avaritiam* exordiens) se *minimum Servorum Dei*, Vincentius Lirinensis (*Commonitorii initio*) se *minimum omnium Servorum Dei*, Taio (*Epist. ad Eugenium Toletan.* apud Baluz. Lib. IV. pag. 92.) se *ultimum servum Servorum Dei*, se Braulio (apud Riscum *Tom.* XXX.) assiduò *servum inutilem Servorum Dei* appellantes, verbo dicam, innumeri pressere.

VIII. *In Christo* : : : *aeternam salutem* | Apage heînc sis nudam illam sive officii, sive benevolentiae significationem, qua in Epistolis *bené aliquem valere*, *benè rem gerere*, *rem feliciter gerere* moris est optare. Quam

Severus formulam qui usurpabant, iis ad quos ſcribebant bona omnia apprecabantur. Idcircò, & cum *in Domino ſalutem* Maximus & Theodorus Auguſtino (*huius inter Epiſtolas CVII. al.* 266.) Auguſtinus ipse (*Epiſtolis XXII. al.* 64. *XXVII. al.* 32. *XXXI. al.* 34. *XLVII. al.* 144. *LXVII. al.* 12. *LIII. al.* 165.) plerisque, Lucianus *omnibus Sanctis, qui* erant *in universo mundo* (*Epiſt. memorata*), Paulinus Sebaſtiano (*Epiſt. XXVI. al.* 40.), Salvianus (*Epiſt. VI.*) Limenio, Zosimus plus vice simplici Africanis Episcopis, Gelasius Antistitibus *per Picenum conſtitutis*: cum *in* Domino *perpetuam ſalutem* Cyprianus Sergio, & Rogatiano (*Ep. LXXXI.*) cum *in Chriſto ſalutem* Hieronymus, & Auguſtinus carissimis sibi capitibus (*ſaepe numero*): cum *in Domino aeternam ſalutem* Balchonio Avitus (*cit. Epiſtola*), Hormisdae Possessor de Libris Fauſti Reiensis ſcribens, Ruffino Prosper exoptabant, nihil sibi reliqui esse quod exoptarent credidissent.

IX. *In Chriſto Redemptore noſtro* | Pelagianam perfidiam cum Neſtoriana amicé coniurasse, & Cassianus, & Prosper teſtantur, hic multis in locis maximé in utriusque haereseos *Epitaphio*, cuius priora diſticha exhibeo:

„ Neſtoriana lues ſuccessi Pelagianae,
„ Quae tamen eſt utero progenerata meo:
„ Infe-

„ Infelix miserae genitrix, & filia natae:
„ Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Cassianus (*Lib. VI. de Incarnat. Domini cap.* 14.) „ Si non idem Chriſtus, ex Ma-
„ ria eſt, qui ex Deo natus, duos absque
„ dubio Chriſtos facis, ſecundum illud ſcilicet
„ Pelagianae impietatis ſcelus, quae ſolitarium
„ hominem ex Virgine natum asserens, eru-
„ ditorem eum magis dixit humani generis,
„ quam redemptorem fuisse; quia non re-
„ demptionem vitae hominibus, ſed vivendi
„ dederit exemplum, videlicet ut ſequentes
„ eum homines, dum similia agerent, ad
„ consimilia pervenirent." cet.

¿ Quidni igitur nefandi erroris confutandi causa egregia *Redemptoris* laude Jesum heîc ornari exiſtimemus? Divini certé foederis, & fallere, fallique nesciae traditionis fidem Praesulem Noſtratem ſequutum ii demonſtrarent, qui catholicum *de Chriſti ſatisfactione* placitum adversus Socinianos, ſopitos ignes ſuscitantes uberrimé vindicant e. g. Witassius, Tournellius, Boucatius, Bertius, alii.

AD NUM. I.

I. *Cum Dei opera revelare* cet. | Angelicum hocce monitum é *XII. Tobiae capitis versiculo* 7. in Severianam Epiſtolam illatum

Joan-

Joannes Lorinus (*in Act. Apostol. cap. XII. vers.* 17.) & Cornelius á Lapide (*in eumdem Tobiae locum*) animadvertére. Uzalensis Anonymus istud *Prologo* suo initium fecit: „ Quoniam Sanctus Raphael Angelus nos adhortari dignatur, ut opera Dei non tam „ in abscondito collocemus, quam pro Dei „ gloria pandamus, monens, & dicens: *Sacramentum Regis*" cet. Et Possidius Calamensis Praesul, cum res à Beato Augustino praeclarè gestas exponere aggrederetur, eadem Raphaelis verba mutua sumpsit.

II. *Celatur enim* cet. | In eamdem cogitationem quà Rethorum, quà Philosophorum decora ingressa. Pro cunctis L. Anneum, Senecam Epist. CXVI. ad Lucilium audisis „ Nimis anxium esse te circa verba, & compositionem mi Lucili nolo : : : Nosti complures iuvenes barba, & coma nitidos de „ capsula totos, nil ab illis speraveris forte, „ nil solidum: oratio vultus animi est, si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum non esse sincerum, & habere „ aliquid fracti. Non est ornamentum virile „ concinnitas. " Exercitatio quoque versus calcem conferenda.

III. *Magnalia, quae Christus apud nos operatus est* | ¿ Capin ut Stephani auxilio beneficia in Nostrates profecta, Servatori in acceptis

ceptis referantur? Facem Moses (*Exodi c. III. vers. 20. & cap. XV. vers. 11.*) David (*Psalm. LXXI. v. 18.*) Petrus (*Act. cap. III. v. 6. & IX. v. 34.*) praetulerant, PP. benè multi adſtipulati ſunt. Videndus (*Lib. IV. P. I. c. 2. de Servorum Dei Beatificatione*) Lambertinus. Auguſtinum, & Anonymum indictos nolo. Illum confersis in Praefatione, iſtum Sermonibus *CCCXIV. al. 33. de diversis CCCXIX. al. 51. c. 6. CCC. XX. al. de diversis 29. CCCXXIII. al. de diversis 32. cap. 3. & CCCXIX.* potissimum, é quo insignem locum recito: „ Dedit nobis intelligere, quia in cuius nomine faciebat antequam carnem deponeret, in „ eius nomine faciunt orationes eius, ut beneficia impetrentur: : : : Ille autem (Stephanus) tamquam ſervus orat. : : : Non „ credamus ſuperbum esse Stephanum, cum „ putamus quia virtute ſua facit quod facit. „ Per conſervum beneficia ſumamus, honorem, & gloriam Domino demus. ¿ Quid vobis plus dicam, & multum loquar? Legite quatuor versus, quos in Cella " (*cappellam* vulgò dicimus, in qua Auguſtinus ipse Stephani reliquias condiderat) „ ſcripsimus, „ legite, tenete, in corde habete. Propterea „ enim eos ibi ſcribere voluimus, ut qui „ vult legat, quando vult legat, ut omnes

„ te-

„ teneant, ideo pauci ſunt, ut omnes legant
„ ideo publicé ſcripti ſunt. Non opus eſt, ut
„ quaeratur codex. Camera illa veſter codex sit.

IV. *Non compoſito ſed veridico ſermone*] Eat iterum Severo comes Uzalensis, cuius (*cit. in Praefat.*) haec ſunt: „ Ipsa noſtra „ narratio, non tam verborum pompam au- „ deat quaerere, quam mendaciorum fucum „ ſtudeat declinare.

V. *Referre aggredior*] Porrò ut miracula multitudine innumerabilia, locisque propemodum infinitis, per ſacras Stephani exuvias edita, omnium per ora volitarent, à plerisque opera impensa. Multos, é quibus occulati illorum teſtes nonnulli fuerant, Lorinus (*in Act. Apoſt. cap. VII.*) percenset, Auguſtinum, Lucianum, Gennadium, Gregorium Turonensem, Nicephorum. Anonymi vero totidem voces ſunt: „ ipsa virtutum (Martyrum Antiſtitis) miracula : : ubique „ personantem exserunt tubam." Scio Phereponum, sive Joh. Clericum, pro nata re insigniter impium, pleraque ex divinis iſtis mirabilibus tamquam „ Episcoporum ſtrata- „ gemata, ut fucum facerent plebeculae" traduxisse. At ſcio etiam impudentissimum nebulonem ab Anonymo Cantabrigiensi, à Ludovico Antonio Muratorio (in *de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio Lib.*

III.

III. cap. 2.) ab Ursio (*Hist. Ecclesiast. Tom.XII.*) ab aliis bené carminatum dimissum.

AD NUM. II.

I. *Insula Minorica una ex Balearibus Insulis est*] Baleari Minori *Minoricae* nomen accessise neminem futurum esse puto, qui inficias eat. Atque illi profectó recté sentiunt, qui huiusmodi vocabulum Victori Vitensi (*de Persecut. Wandalica Lib. I.*) Isidoro Hispalensi (*Ethymologiarum Lib. XIV. cap. 6.*) Sebastiano dein Salmanticensi Episcopo (*apud Marcam Lib. III. cap. 28. n. 5.*) usurpatum, inde deductum sentiunt, quòd non tam longé, latéque, ac Balearis altera, Nostra pateat, multisque cum illa nominibus conferenda non sit. In Pujadesiana Inscriptione, qua de multis (*Dissertat. laudanda*) Bonaventura Serra *INSULA MINOR* simpliciter dicta est. Mitto sequiore memoria in barbara quadam charta, cui titulus: *Reclamatio Jacobi Maioricarum Regis super Recognitione, quam vi, & coactus dederat Jacobo Aragonum Regi (apud Martene Anecd. Tom. I. col. 1272.) Minoricas* appellatam, quod ad aetatis nostrae tabelliones manavit, in Gestis Comitum Barchinonensium (*in Marcam Hispanicam* relatis) *Menorcham,* in Hali Privilegio

lau-

laudato *Minoretas*. *Minorem Gothiam* à Gothis nominatam Binimelis (*Lib. II. cap.* 15.) narrat, qui tamen unde id acceperit, non prodit. *Minorcam* vir coetera latinissimus dixit. = Verum eſt heîc aliud, quod á me praetermitti, qui singulas ſoliti ſunt litterculas perſequi, medio in otio negotiosissimi, moleſté ferrent. *Balearibus*, apud Baronium, aliosque Severus refert. Et hanc certé ſcribendi rationem, quem penés ius, & norma eſt, usu perquam longissimo confirmatam, nisi Veterum Scriptorum, cum mox apellandorum, cum M. Tullii, Virgilii, C. J. Caesaris, A. Hirtii, Ovidii, Lucani, Silii Italici, L. Flori editionibus accuratissimis *Balearica*, *Balearis*, *Baleares* cet. efferentibus fidem omnem abrogare velimus, tam certum eſt, quam quod maximé. Hubertus Goltzius, cui quantum tribuo, tantum Vaillantius, & Patinius tribuebant, Romanum numum aeri incidit, cuius haec eſt inscriptio: Q. METELLUS. Q. F. BALEARICUS. FIDES. De quo Cl. Antonius Auguſtinus, Epiſtola ad Hieronymum Zuritam Hiſtoricum praeſtantissimum, à Josepho Dormerio Aragonicae Hiſtoriae progressionibus (*Lib. IV. cap.* 5.) inserta. Erit nihilominus qui *Baliaribus* ſubſtituendum esse contendat, quam orthographiam illuſtris Comes Josephus Rezzonicus, cum antiquiorem

rem cum veriorem esse, & validis quidem argumentis persuadere conatur. Videndus Vir politissimus *in Epiniciorum Ludovico Adamato : : : : : : ob captam : : : : Minorem Balearem consecratorum Corollario*, eo potissimum loco, ubi & Inscriptiones mox indicandas exhibet, illustratque, & multa, quae aliorum diligentiam effugerant animadvertit. Ego, qui Grammaticorum iurgia plus oderim quam fullo ululam, & cuius, Severo in tuto posito,

non est tantam componere litem;

duo tantum, ut Rezzonici verbis utar, venerandae antiquitatis monumenta, in Nostratum gratiam indico, eaque praeteriissem libentissimé, si Balearibus Romanarum antiquitatum cultoribus tam nota essent, ut Aenea illa tabula anno MDCCLXVI. in Agro Pollentino inventa, doctaque Bonaventurae Serrae Hispana Dissertatione elucidata. Primum immortali Antonio Augustino haud ignotum, Fastorum Triumphalium Fragmentum est. Alterum Neroni & Poppeae lapides dicati. Illud in Ludovici Matthei Vinea deffosum apud Gruterum (*Inscript. pag.* 298.) legas. Lapidibus cl. Josephi Gorii opera ab oblivione vindicatis, Muratorius (*Novi Thesauri Inscript. à pag.* 217.) splendidissimam lucem attulit.

V II.

II. *Secularium*] Quo pacto *secularem eloquentiam*, *secularem litteraturam*, *secularem codicem*, *secularem versum* Hieronymus (in *de Scriptoribus Ecclesiasticis* multis in locis, & *Epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis*) *secularem dignitatem* Ambrosius (*Lib. VI. in Luc. cap.* 9.), *secularem militiam* Vincentius Lirinensis (initio *Commonitorii*), *secularem historiam* Sidonius (in *Concione Lib. VII. IX. Epistolae adiecta*), *Seculares litteras* Gennadius (*de Script. Eccles.*), & sexcenta huiusmodi sexcenti alii dixère.

III. *Pervulgatum est*] Liceat nunc mihi dulcissimo patriae amori „ cuius tanta vis est, „ tantaque natura, ut Ithacam illam in as- „ perrimis saxulis tamquam nidum affixam „ (Cic. *de Orat. Lib. I. num.* 44.) sapi- „ entissimus Vir (Ulysses) immortalitati an- „ teponebat, " tantisper indulgere. Crebra apud Veteres Balearium mentio, crebras illae & magnificentissimas de se testificationes Historicis, Geographis, Vatibus, multo ante Severi aetatem debebant. Duas esse conceptis verbis Livius (*Decad. III. Lib. VII. cap.* 19.) dixerat: ut mirum cui cui accidat, & Suetonio unam videri potuisse (Conf. Ortelius V. *Baleares*), & á Nicolio Lacroixio (*Geographie Moderne pag.* 372. *Tom. I.*) Roberto (*Geographie Universelle Tom. I. pag.*

230.) aliis, plures numerari. Utriusque oppida Plinio (*Lib. III. cap. 5.*) memorata. In Balearium etymon perquam diligentissimé inquisitum. *Ballearides*, & *Baleridas* Graeci nonnulli accuratissimi, *Gymnasias* Diodorus (*Lib. V.*) *Choerades* Timeus (*ap. Carolum Stephanum in Dictionar. Historico*) appellaverant. A Graecis *Gymnesias* dictas (*loco cit.*) Plinius autor est. In *Provinciarum Itinerario*, quod Antonini Augusti legitimam sobolem esse, coniecturam ab aruspice non ridendam ducimus, Baleari nostrae *Nurae* vocabulum inditum, tametsi & istud Aerae Christianae Sec. I. ignotum esset, & eiusdem originatio tenebris hodie dum obsita sit. Praetereo, quod Armstrongius (*in Opusculo, quo de inferné*) indicavit, nonnullos in ea sententia esse, ut à Graecis, Rhodiis, Beotiis, aliis utramque Balearem possessam existiment. ¿ Quem, quaeso te, terrarum locum, nisi inter inhumanae barbariae nomina situm, latuisset, eas à Phoenicibus occupatas, á Poenis incassum tentatas, imperio dein Punico subditas, à Q. Metello, ea de causa Balearici nomen adepto, Urbi rerum dominae subiectas? Bellicae Maiorum nostrorum virtutis argumenta ad posteros iam transmissa. Et quamquam verear ne universas feré Balearium leges, quas Alvarezius Colmenarius (*Operis, cui titulus est Description,*

&

& Delices de L' Espagne. Tom. II.) recitat, Veteres omnes ignorârint, de eorum moribus, institutisque sat multa dicta fuerant. Baleares omnium primos laticlavium induisse memoriae proditum fuisse Strabo (*Lib. III.*) testis est. Ab ipsomet Balearici soli foecunditas, à Plinio (*Lib. XVIII. cap.* 7.) tritici pondus, vini vis, praestantiaque (*Lib. XIV. cap.* 6.), venantium nimia copia (*Lib. VIII. cap.* 55.), aves praeterea propriae (*Lib. X. cap.* 49.) litteris consignata, multorum tandem sermonibus pervagatum, quod Balearibus fortasse nomen dedit, uberrimam certè laudum segetem in eosdem derivavit, quantos in eiaculanda funda, quam si Vegetio (*Lib. I. cap.* 16.) fides, invenisse dicebantur, progressus fecerint, ut excellentissimos quosque in eo praeliandi genere superarent. Pauculis. ¿Quei enim longa oratione á Dameto, Serra, Eruditissimis Mohedaniis (*Historia Literaria de España Tom. III. pag.* 458. *& seqq.*) Marinio (*Historia de la Milicia Española Tom. I. pag.* 31. *&* 32.) & nitidissimo Masdevio (*Hist. Critica de España Tom. I. P. II. Lib. VI. num.* 21.) celebrata consecter? Jam tunc Severo confidentissimé pronuntiare licuisset, quod Seculo XVII. ineunte palmaris Virgilii Interpres Cerda affirmavit: ,, De his (Balearibus) loqui in

,,tan-

„ tanta Poëtarum, & Scriptorum luce ſuper-
„ vacaneum eſt."

IV. *Inter Mauritaniam Coesariensem* | Mauritania Veteribus divisa erat in partes duas, *Coesariensem*, *&* *Tingitanam*, ab Urbibus utriusque primariis, *Coesarea*, & *Tingi*. Tingitanae Coesariensis antiſtabat. Alia Geographi dicent, & ad XLV. Cypriani Epiſtolam Nota cl. Baluzius.

V. *Longitudinem XXX. latitudinem veró III. millia passuum habens* | Balearis nostrae longitudinem Plinius Maior (*Lib. III. cap. 5. cit.*) & Philippus Ferrarius (*in Lexico Geographico*) ad plures passus, Vosgienus ad XVIII. leucas (*Dictiou. Geografique V. Minorque*) alii ad XXX. porrigebant, quod negotium vix, aut ne vix quidem facessit, quoniam ſunt qui gallicas, ſunt qui hispanas, ſunt qui italas, ſunt qui anglicas, ſunt qui alias leucas numerent. Romani cum ea ratione metirentur, ut ex punctis lineam, é 12. lineis pedem, ex 5. pedibus passum Geometricum componerent, Severum XXX. M. pas. numero, qui reliqui essent, comprehensos voluisse exiſtimo. Ut hanc in ſententiam abeam ipse in causa eſt. „ Ex Jammonensi
„ civitate (inquit *num.* 9.) famulorum Chriſti
„ multitudo convenit : : : : tantaque difficilli-
„ mi itineris laborem alacritate confecit, ut
„ XXX.

„ XXX. M. passuum : : : transvolaret. Itaque „ Magonem pervenimus." Et (*num.* 20.) „ ex „ tanta Jammonensis populi multitudine, qui „ per 30. M. passus venerat " cet. Magona igitur XXX. mille passus à Jammona distabat. Ab utroque autem oppido, ad loca unde Insulae nostrae longitudinis metiendae rationes ineundae sunt, IV. plus minus mille passus supersunt. Ad latitudinem quod attinet non eadem ubique est, nam ab VIII. M. ad XII. usque pass. M. illa porrigitur. Haec simul ac ob oculos posueris, & specie tenus in Minoris Balearium latitudine supputanda dissidentes, amico iunges foedere, & Baronianum Severianae exemplum opellae iuxta Vatic. emmendandum intelliges.

VI. *Contemptibilia mundi á Domino : : : in locis eligi* | Haud inepté Paulinam (*è I. ad Corinth. Epistolae cap.* 1. *vers.* 28.) de antiquissimis illis, eximiisque Ecclesiae Magistris sententiam, de locis efferri, vel quos Severus subscriptores haberet, ne hiscentibus quidem; non oppidula tantum, Christianorum heroum, natalibus, gestis, mirabilibus per eosdem patratis, morte, sepulchro, nobilissima; sed vastae eremi, ad quas vix antea humano pede via calcata, monstrarent, in quibus ceu de Aegypti, & *praesertim de Nitriae deserti partibus* á Ruffino (*Hist. Eccl. Lib.*

XI.

XI. cap. 4.) ſcriptum accepimus. ,, Monachi ,, habebantur, qui consortium vitae, & actuum cum ſupernis Angelis; habere credebantur, ut veré " (doctus ille Aquileiensis Presbyter *cap. VIII.* ſubiungit,) ,, complèretur Apoſtoli dictum, quia ubi abundavit ,, delictum, ſuperabundavit & gratia."

VII. *Quae omnium terrarum parvitate, ariditate, asperitate poſtrema eſt* | Fors iſtud per exaggerationem haud dictum. Fac tamen dictum. Ad iuſtam ſententiam Dametus sic redegit: *la qual en tamaño, y calidad es de las poſtreras del Orbe.*

VIII. *Duo parva oppida* | Pomponio Melae (*Lib. II. cap.* 7.) *caſtella*, Ptolomeo (*Europae Tab. II.*), Plinio (*laud. Lib. III. cap.* 5.), Baudrandio, Martinierio, aliis, quorum vel nuda nomina promere, maxima me moleſtia afficeret, *civitates.* Hos inter, Severumque, quidquid é trivio Grammaticus garriat, nihil dissidii. Moneo cursim praeter *Jammonam, Magonamque*, non alia, ante Severi tempora, apud Noſtrates oppida fuisse, è loco, quem versamus, ineptissimè colligi. Enim vero tota in Minori Baleari urbs numquam fuit, cui Joannes Maginus (*in Novis Geographicis Tabulis*) *Minoricae*, Anonymus, qui Alexandro Severo Caesare, *Collectionem Hiſtoricam Chronographicam* adornavit

vit (in alterum *Thesauri Monumentorum* Henrici Canisii Tomum editionis Antuerp. á Basnagio accuratae translatam) *Minorcae* nomen imposuere. Sed à Severo memoratis, Plinius Sanisseram adiunxit, cuius tametsi apud alios ne verbum quidem; fieri tamen potuit, ut haud aspernandus Plinianus Scholiastes, super Strabonis ea de re silentio, annotavit, ut eam *ignoraverint, vel prudenter tamquam minus nobilem praeterierint.* Quod autem Gelenus ipse subdit, *verisimile est eam solum indigenarum fuisse,* in medio relinquo. = Joannes tamen Armstrongius, qui *Minoris Balearis Historiam Naturalem,* & *Civilem* litteris mandavit Anglicanis, Autor quandoque satis diligens, dormitans saepe, dormiens aliquando, & quod nolebam dicere, dicam tamen, indignus, qui & ab Hispano ipsius Interprete (*in Praefat.*) & in Cathalogo Scriptorum Langletianae *Historiae discendae Methodo adiecto* (*Tom. XIII. art. 6. cap. 9.*) tam impensé commendaretur, nam & mendaciis lucubratiunculam infarcit, & civium nostrorum, tamquam si obtusa maximè pectora gestaremus, ima in viscera capulo tenus ensem quandoque abdit: Urbem aliam, *Labonem* nimirum, apud Nostrates á Poenis aedificatam pronuntiat, eamque hodiernum oppidum *Alayor* (*Laor* ille appellat)

lat) arbitratur. Sed optarem ut vel unum é tota retró acta antiquitate idoneum huiusce ſententiae praedem Armſtrongius ſiſteret. Optarem : : : Sed hominem dimittamus, cum quo, si Deus nobis otia fecerit, data opera agendum. Conf. interea Opusculum Matritensibus typis nuper excusum *Descripcion de las Islas Pithiusas, y Baleares* (pagg. 144. 154. & ſeqq.), quod tamen in Balearium rebus tam accuratum vellem, quam elegans. E diverticulo ad viam.

IX. *Quibus á Poenis indita nomina*] Eat licet contra vaſtissimae Vir eruditionis Auguſtinus Calmetius (*Hiſt. Universelle Liv. XXXVIII. num.* 57. *Tom. III. pag.* 613.) nulla in Minori Baleari oppida, cum in eam Q. Metellus venit, fuisse putans. Equidem si non ante ſecundum Bellum Punicum, ut Rezzonicus arbitratur, de quibus Severus, oppida excitata fuerant, & Balearicorum omnium vetuſtissima, & à Poenis conſtructa facilé vix non assentirer. Punicos profectò illorum conditores ampla iuniorum manus facit, quos inter Rollinius (loco laudando) Dametus (*Lib. I. Tit. I.* §. 1. *&* 7.), Chesnius (*Abregè de l' Hiſtoire d' Espagne Tom. I. p. p. initium.*). Et Plinius *Palmam, & Pollentiam Civium Romanorum oppida* (*loco nuper citato*) vix dixerat, ſubdit, „ Minor

 „ (Ba-

„ (Balearis): : : Civitates habet Jamnonem „ Magonem, & Sanisseram. " Jamnonae Carthaginensi Imperatori, cui nomen *Jamno* primordia deberi, celebris multorum opinio eſt, quae non tantum invaluit, verum etiam inveteravit. Magonem á Poeno alio Imperatore *Magone* fabricatam infiniti propemodum ſentiunt. ¿ At quisnam Mago is? Eſt qui ab Amilcaris Patre, eſt qui à Magone Barceo, ſunt, é quibus honoris causa Joannem Gerundensem Episcopum (*Paralipom. Hispan. Lib. II.*) Claudium Rollinium (*Hiſt. des Carthaginois Liv. XI.* §. 6.) nomino, qui á Magni Annibalis fratre Urbis noſtrae initia repetant. Accipe Joannis Marianae hiſtorici gravissimi iudicium: „ Magonem (inquit ille *Lib. II. de Rebus Hispaniae cap. I.*) „ ferunt in Balearibus cum aliquot annos haesisset, in Minori Insula Urbem sibi cognominem posuisse: quod quoniam Veterum „ Scriptorum fide caret, & ſola ex nomine „ coniectura nititur, (quoniam Magonem „ Urbem in ea Insula fuisse conſtat), non „ videtur pro certo ponendum ne à Hannone quidem fuisse fundatam. ¿ In rebus tam „ obscuris, ¿ quid mirum si caliget narratio? " Rezzonicus tamen (*laud. operis pag.* 2. *Nota I. & in Parerg.*) conferendus.

X. *Jammona* | *Jamnonem* Ptolomeus (*loc. cit.*)

cit.), *Jamnonem* Plinius (*Lib. III. cap. saepe laudato*), *Janam* alii, si Dameto (*laud. Tit. I.* §. *I.*) credas, à Jani Templo inibi posito, vocavere. Fortassis è Tarraconensi Lapide, quem á Grutero, aliisque descriptum, in *Syllogen Inscriptionum Romanarum, quae extant in Principatu Cathaloniae* Josephus Fineſtresius Cervariensis Antecessor nobilissimus (*p.* 220.) & in *Hispaniae Sacrae* Tomum XXV. (*pag.* 62.) Florezius tranſtulere, *Jamnonem* ab aliis dictam, colligere quondam licuisset: noſtra tamen memoria, quod Florezium ipsum Raymundus Foguetius Tarraconensis Canonicus in hoc litterarum genere versatissimus, mihique plurimum observandus monuit, haud liquet ſatis quid illa Inscriptio referat. Florezius idem (*loco citato*) consulendus. *Jammona* autem, de qua heîc Severus, fruſtra licet Dametus refragetur, eadem illa quam ab incolis *Civitatellam* appellatam Joannes Gerundensis Praesul affirmat, haud malé *Civitatulam* Francisciani Hiſtorici illuſtrissimi Gonzaga (*in de Orig. & Progr. Francisc. Relig. fol.* 1023.) Wadingus (*Annal. Tom. XIV. fol.* 438. *Edit. poſtremae*), *Citadella* Bernardinus Gomezius (in *de Vita, & Geſtis Jacobi I. Regis Aragonum Lib. VIII.* ante finem *pag.* 146.), *Ciutadella* Insulani hodiedum dicunt

sive

sive quod é Sarracenorum poteſtate erepta, muris cincta, praesidiisque aliis munita, exigua urbs evasserit, sive quòd à Caſtello á Carthaginensibus ibi conſtructo, eiusmodi nomen tulerit, quod ad quascumque id genus arces, vernaculo multarum gentium ſermone significandas translatum eſt. Plerisque originatio illa, Chesnio iſthaec placuit.

XI. *Magona* | Ut *Jamnonis*, *Magonis* nomen, Severiana tempeſtate, nonnihil immutatum. Enim vero Plinius, Mela (*loc. cit.*) Geographorum iuniorum populus, quamquam Echartus (*in Dict. Geographico.*) & Dinovartius (*in Appar. Reg. Append.*) *Mabo* latiné reddant, *Magonem* dixere. Et ipsa mille herclè nominibus, portuque, cuius descriptionem ad allegoriae leges Gothofredo (in opus Gallicum *L' Art Oratoire reduit en exemples Tom. IV. pag.* 19. *& ſeqq.* translatam) ad Poeticae fabellae Retzio (*Memoires du Cardinal de Retz. Edit. d' Amsterd.* 1718. *Tom. I. pag.* 318.) amplissimam laudum copiam plerisque, Rezzonico maximé (*in laudatorum Epinic. Praefat.*) & Nicolao Villagagnonio (*in Comment. de Tunetana Caroli V. Expeditione*), *omnium optimum pulcherrimumque* eumdem apellanti debemus, universarum Europae gentium linguis celeberrima.

XII.

XII. *Sacerdotalis Officii* | Episcopatus, quo cum tota Sacerdotii dignitas, amplitudo, maiestas contineatur, *Sacerdotium*, *Sacerdotale officium* appellatum, eo auguratos *Sacerdotes* simpliciter dictos é Hieronymi, Augustini, Paulini utriusque Mediolanensis Diaconi, & Nolani Antistitis, Possidii, Ruffini, Vincentii Lirinensis multis locis, & ne exemplis abutar, Uranio (*in de obitu Paulini num.* 4.) manifestum est.

XIII. *Pondus* | Non dicam utroque Severo pollice subscripturum, qui de Episcoporum muniis diserentes legerit, ut V. Bartholomaeum á Martyribus (*in Stimulo Pastorum*) Nunnezium (Hispano in opere *Empresas Sacras*) Gallici itidem Scriptorem operis (*De la Sainteté & devoirs de l' Episcopat*) alios, quorum plena dignitatis *de Sacrorum Ministrorum Officiis Opuscula* doctissimus Hieronymus de Prato Romanis typis edidit: dicam dumtaxat Episcopatum, & Gregorio Magno (saepé numero) *onus, pondusque*, & Gregorio Nazianzeno (*Oratione VIII.*), Juliano Pomerio (*de Vita contempl. Lib. III. cap.* 28.) & Joanni Chrysostomo (*de Sacerdotio Lib. III. cap.* 10.) & Augustino (*Epist.* 86. *al.* 60., aliisque in locis) *sarcina*, & *Sanctis omnibus*, Cyrillo Alexandrino Praesule (*Homil. I. de Festivit. Paschae paulo*

post

post initium) teste, *molem ingentem* visum.

XIV. *Omnia noxia animalia deesse videamus* | Id ego de quadrupedibus intelligo,quamquam haud inficias ivero verissimé ab Strabone dictum: „ illud hisce in locis commo„ ditatis adesse, ut ullum noxium animal „ non facile reperias."

XV. *Copia magna sit* | Haud minor superiore memoria, eadem nostra est, quod à Geographis non praetermissum.

XVI. *Amisserunt omninó nocendi violentiam* | Nemo apud nos á colubris, pauci ab scorpionibus venenatos ictus accepere : ne uni fortassis quidem à bestiolis istis mors illata. Causa, ni fallor, potissima calor nunquam summus. Addito, quod nemo in controversiam vocabit, Balearium Minoris incolas exiguo quondam numero fuisse, & faciliore profectó opere fidem Praesuli nostro accomodari posse efficies, quam si solum istum talem fingas, qualem Dametus voluit, & qualem Hibernicum esse Beda (*Histor. Angl. Lib. I. cap.* 1.) Sardiniae Plinius, Gaulo Insulae Solinus, aliarum terrarum alii narrant.

XVII. *Lupis, & vulpibus* : : : *comparantur* | Confersis Origenem. Confersis & Joan. Chrysostomum (*Oratione II. adversus Judaeos*), & Cantici Canticorum Enarratores (*ad cap. II. vers.* 15.)

XVIII.

XVIII. *Christi Ecclesia morderetur* | Facilius Herculi clavam, ut vetus erat adagium, quam Catholicis societatibus, huiusmodi nomen eriperes. Tertullianum (*Libro de Praescriptionibus* variis in locis), Cyprianum (*Lib. de Unit. Ecclesiae*), Optatum Milevitanum (*in libris contra Parmenianum*), Augustinum (*de vera Religione cap. VII., contra Epist. Fundamenti cap.* 4. *& libris,* quos adversus *Donatistas* elucubravit), Cyrillum Hierosolymitanum (*Cathech. XVIII. num.* 12.) testes appello. Pervagata, sed aurea Hieronymi (*adversus Luciferianos*) vox „ Marcionitas, Valentinianos cet. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam."

XIX. *Generatio viperarum* | Non loco tantum ad oram indicato, verum etiam Matthaei *cap. III. vers.* 7. *XII. vers.* 34. *XXIII. vers.* 33., Hilarii (*can.* 10. *in idem Evangel.*), Lorinus (*in Act. Apostolor. cap. XXVIII. vers.* 3.) consulendus, & audiendus saltem Arator (*Histor. Apostol. Lib. I.*)

: : : : : : „ Judaea venenum
„ Semper ab ore vomet, crudelior aspide surda
„ Perfidiae coluber Synagogae sibilat antro.

XX. *Venenatis ictibus saeviebat* | Perpetuum, & plusquam vatinianum Judaeorum in Christianos odium, tam multa ostendunt, ut pagi-

paginam utramque Lorinus (*in laud. Act. Lib. cap. VII. vers.* 52.) fecerit. Haud ſané iniuria (*Lib. contra Judaeos*) Tertullianus, illorum Synagogas *persecutionum nostrarum fontes* appellavit.

XXI. *Divina virtute compulsa*| Qui humanae libertati iniuriam irrogari heîc crederet, coturnicum, ut dici ſolet, oculos transfigeret. Nam ut praetercam quod B. Thomas (*Lect. VII. in I. Joan. caput*) prudentissimè edicit: „ Antiqui Doctores emergentes „ circa fidem errores ita persecuti ſunt, ut „ interdum viderentur in errores labi contra„ rios;" tam multa apud Patres similia legimus, ut vel ea indicare me puderet. Unum, ſed perquam simillimum pratermittere non possum, Ecclesiam ſcilicet Deum Optimum Max. obteſtari ut *ad se noſtras rebelles compellat : : : voluntates.*

XXII. *Mortiferum illud virus incredulitatis*| Gemina plané è Synodis, Sanctissimisque Viris (*ad Tertulliani Lib. de Idololatria cap. XIII. not.* 2.) Cerda dabit.

AD NUM. III.

I. *Tanti Sacerdotii nomen : : : adeptus ſum* | Ridiculus sim si Episcopatu nullum in Re chriſtiana honoris gradum praeſtantiorem, ſu-

sublimiorem nullum esse, Sedem illam excipio, *in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus* (August. *Epist. XLII. al. CLXII.*) multis monstrare cogitarem. ¿ Ecquenam cui, quaeso, ignota tot & tam magnifica Episcoporum praeconia, in Episcoporum Syllabis perquam curatissimé texendis diligentia, qua universi ordines Episcopos prosequebantur reverentia, de quibus iuniorum plerique ita certatim disseruere, ut si quid ego addidero, anseri inter olores strepenti compararer? Conferas si vacat Natalem Alexandrum (*Dissert. in Sec. IV. LIV.*), Thomassinium (*P. I. Lib. I.* multis locis, & saepe alibi), Witasium, Colletum, Bertium (*de Sacramento Ordinis* disputantes), Selvagium (*Lib. I. P. I. cap. XII.* & locis etiam aliis.)

II. *Sanctitate praecipuus* | Haud alius ab Orosio, illo Orosio, quem & Bracharenses civem sibi vindicant, Tarraconenses repetunt, Hieronymus (*Epist. CLXXII. al.* 30. *inter Augustinianas*), & Augustinus (*Epist. CLXVI. al.* 28.), singularibus quá honoris, quá benevolentiae officiis dignabantur; Gelasius in Romana Synodo an. CCCCXCIV. celebrata (*in Decreto*, quod apud Gratianum *dist. XV. cap.* 3. legere est): *Virum eruditissimum* praedicabat, Gennadius (*in de Viris illustribus in Orosio*), Librorum *de Promissionibus*,

& Praedictionibus Dei Scriptor (*P. II. cap.* 33. *& P. III. cap.* 34.), Cassiodorus (*Divin. Lect. cap. XVII.*), alii, in aſtra vocavere; & de quo hiſtorici omnes bona omnia dicent.

III. *Ab Hierosolyma veniens* | Juvat Gennadii (*é loco citato*) verba ſiſtere: „ Oro-„ sius : : : ab Auguſtino nuper pro discenda „ animae ratione ad Hieronymum missus, „ rediens, reliquias B. Stephani primus intu-„ lit Occidenti."

IV. *Magonae* | Magonis portui vicino sinui Insulanis *Cala de Sant Eſteva,* á Sacris Martyrum ducis exuviis, cum Orosio illúc appulsis huiusmodi nomen haessisse, fama, veri fortasse nuntia, vagatur. Nihil tamen causae fuisse video, quei Petrus Campus (*Hiſt. General de la Orden de S. Aguſtin Lib. III. cap.* 42.) ſcriberet Orosium valida iactatum tempeſtate, fluctibus ferè dirupta navi, Magonem versus vela dare coactum.

V. *Non longo tempore moratus eſt* | Florezius (*Tract. LV. laud. cap. extremo*) conferendus.

VI. *Transvehi ad Hispanias : : : nequivit* | E veſtigio Baronius: „ Erat enim Hispania „ obsessa hoc tempore à Gothis:" addo & à Barbaris aliis, nam ut Idatius (*in Chron. ad an. CCCCXI.*) autor eſt, qui Hispaniam anno CCCCIX. invasserant, „ Galloeciam „ Wan-

„ Wandali occupant, & Suevi sitam in ex-
„ tremitate Occeani maris occidua, Alani
„ Lusitaniam, & Carthaginensem Provincias,
„ & Wandali cognomento *Silingi* Baeticam
„ ſortiuntur. "

VII. *Sicut desiderabat*] Ad Bracharenses ſuos ſacra Stephani pignora cum Avitus dirigeret, „ ut ipse praesens advocatus & Pa-
„ tronus obsequentium sibi petitionibus dig-
„ naretur assiſtere, qui cum pateretur etiam
„ pro inimicis orare dignatus eſt " (quae totidem eiusdem Aviti *citata in Epiſtola* verba ſunt); tam egregio dono illos beare, Orosio in votis erat. ¿ An iſtud tandem aliquando ad eos pervenerit? Nicolaus Antonius (*Biblioth. laud. Lib. III. cap. II. num.* 43.) ſubdubitare videtur. Florezius haud pervenisse exiſtimat. Ego diuturna ſaltem ipsius posessione Magonensibus felicibus esse licuisse arbitror.

VIII. *Remeare ad Africam denuo ſtatuit*] Sed an remigrârit incertum, nam, ceu Florezius ipse animadvertit, nihil de Orosio, poſt eius in Magonem adventum, litteris consignatum reperitur.

IX. *Reliquias*] nimirum illarum particulas, de quibus memorata in Epiſtola Avitus, sic ad Balchonium ſcribens: „ Missimus vo-
„ bis de corpore B. Stephani pulverem ſci-
„ licet

„ licet carnis, atque nervorum, & quod fi-
„ delius, certiusque credendum eſt, ossa ſo-
„ lida, atque manifeſta ſui ſanctitate novis
„ pigmentis vel odoribus pinguiora." Et Exer-
citatio noſtra (§. *LXXXVII.*) conferenda.

X. *Nuper* | Anno á Rep. Sal. CCCCXV., Decembri exeunte, ut à Marcellino, Idatio (*in Chron.*), Gennadio (*loc. laud.*), infinitis propemodum accepimus. Addo ſcité à Notkero in Martyrologio dictum „ Hanc re-
„ velationem quidam minus cauté legentes
„ hoc tempore (*III. Non. Auguſt.*) putant
„ actitatam, cum & circa principia Decem-
„ bris inchoata, & circa finem eiusdem men-
„ sis probetur consummata." Lucianeae idcircó *visionis ſeriem*, VII, quas memoravi Calend. die Notkerus ipse *aperire* cogitavit.

XI. *Revelatae sunt* | Eodem verbo Stephani exuvias divinitus in lucem eductas fuisse, Lucianus, Avitus, Gennadius (*locis citatis*) Auguſtinus (*Serm. CCCXVIII. al.* 25. *ex Sirmondianis*, & *Tract. CXX. in Joan.*) indicavere. Et Paulinus Nolanus (*Epiſtola XXXII. al.* 12. *num.* 17.)

„ Quosque suo Deus Ambrosio, post longa revelat
„ Tempora Gervasium cum pare Protasio."

Paulinus vero Mediolanensis (*in B. Ambrosii Vita num.* 29.) „ Posita erant corpora Mar-
„ tyrum (*Vitalis & Agricolae*) inter cor-

„ pora

„ pora Judaeorum, nec erat cognitum populo „ christiano, nisi ſe Sancti Martyres Sacerdoti „ ipsi revelassent."

XII. *Martyre inspirante* | Noſtratum igitur cura, Stephanum ſollicitari Severus credidisset, quemadmodum & Alexandrinorum Potamienam Eusebius (*Hiſt. Eccl. Lib. VI. cap.* 5.), Coesariensium XL. Martyres Basilius (*Homil. de iisdem*), Basilium ipsum, quam adminiſtrârat Ecclesiae Gregorius Nazianzenus (*Orat. Funebri de S. Basilio*), civium ſuorum Theodorum, inclytum Martyrem Gregorius Nyssenus (*Orat. de Magno Martyre Theodoro*) nulli addubitabant. Ambrosius Martyres *Speculatores vitae, actuumque noſtrorum* (*Lib. de Viduis cap.* 9.) appellavit. Cyprianus tandem, infinitum beatorum populum, de ſua immortalitate ſecurum, de noſtra ſalute ſollicitum (*Lib. de Mortalitate*) eloquentissimé dixit.

XIII. *In memorati Oppidi Ecclesia* | Primaria, si Campum (*cit. Lib.* 3. *cap.* 42.) audires, in quam ab Auguſtiniensium Coenobiarcha Stephani exuvias allatas ait, quamquam Jordanius in Coenobii sui Aede depositas é Severo colligi, subiungit. At unum fortassis ea aetate Magone templum erat (*Conf. Thomassinius P. I. Lib. II. cap.* 7. *num.* 7.), & Severo autore, Orosius ipse Stephani reliqui-

liquias *in memorati Oppidi Ecclesia collocavit*, quod mirum á Jordanio, dum fontes haberet rivulos consectante, non animadversum.

XIV. *Collocavit* |Florezio iudice, magna Hispaniae laus impartienda est, quód & per Avitum Stephani exuvias divinitus repertas esse Orbi Latino primum innotuerit, & per Orosium tam splendido munere donatus primum Occidens fuerit; ¿& Urbi nostrae non vehementissimé gratulabimur, quód tam praeclarum fontem, è quo infinita in se beneficia redundatura erant, ante alias apertum viderit, mox expertura quam bené sapienterque Sacri, politissimique Vates, Graecus alter, Latinus alter cecinerant, Gregorius scilicet Nazianzenus (*in Jambico de Virtute Carmine*) Cl. Petavio Interprete (*Lib. XIV. de Incarnat. cap.* 11. §. 3.)

„ Tanta porro est veritatis veneratio,
„ Ut vel exiguus pulvis, aut aliquod reliquiarum,
„ Ossium vetustorum, vel capillorum particula,
„ Aut panniculi, aut aspersi cruoris (ant,
„ Nota quaepiam, ad totius honorem aliquando suffici-
„ Et appellatione sanctae sint reliquiae,
„ Cum certis locis attributae fuerint pro toto Martyre,
„ Eadem quippe vi praeditae. ¡O miraculum.!
„ Salutem enim affert etiam sola recordatio.

Paulinus (*Nat. IX. de S. Felice sive Pöem. XXIII. á versu* 442.)

: : : : : : : : : „ debita sanctis

„ Sunt

„ Sunt loca corporibus, neque tantum, qua iacet ora
„ Totum corpus, ibi positorum gratia vivit.
„ Sed quacumque pii est pars corporis, & manus extat
„ Contestante Deo, meriti documenta beati.
„ Magna & in exiguo Sanctorum pulvere virtus. “

Et (*Nat. XI. sive Pöem. XXVII. à v. 67.*)
: : : : „ quá : : : osse minutò
„ De modici sacri stipe corporis exiguus ros
„ Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
„ Et fluvios vitae generavit unda favillae. “

XV. *Ille ignis* | Sive cum Tertulliano (*Lib. IV. adv. Marcion.*), iunioribusque nonnullis, Servatoris, ad quod Nostras alludit Oraculum (*Lucae cap. XII. vers.* 49. comprehensum), eodem feré pacto quo illud (è *Matth. cap. X. vers.* 34.) *Nolite arbitrari quia pacem venerim* cet; exponendum arbitreris, sive cum Ecclesiae columinibus, ab Alapide (*in cit. Luc. versiculum*), & Lorino (*in Act. Apost. cap. II. vers.* 3.) laudatis, ipsaque Ecclesia de Spiritu Sancto, eiusque donis intelligere mavelis, per Severum licet. Neque te illud fugiat Cleophae voces (é *Luc. cap. XXIV. vers.* 32.) ¿ *Nonne cor nostrum* cet. non secus à Minoricensi, Mediolanensem Praesulem Ambrosium aliquando reddidisse.

AD NUM. IV.

I. *Cuiusdam Theodosii* | Et heinc Fleurii

error

error fortasse manavit,ut cum Theodosio, cum Theodoro primas Magonenses inter Judaeos deferret. Verum *cuius Judaeorum populus maximè autoritate, & potentia nitebatur* (*hoc num.*), eumdem illum *in cuius se Synagoga viribus acclinabat*, qui mox *pater patrum*, qui *Synagogae columna* (*num.* 13.), qui *ſummus Sacerdos perfidi populi* (*num.* 8.), qui *concionari ad plebem ſuam* voluisse dicetur (*num.* 14.), & *poſt quem omnis ad Ecclesiam Synagoga confluxit* (*num.* 16.) ¿ quis non videt? Rectius igitur Vaticana Severi exemplaria Theodorum ſemper, Theodosium numquam efferunt, & ſcitè Nicolaus Antonius (*loco in Exercit. citato*) „ *Theodorum* „ *inquam* (ait) non Theodosium, quod ha„ bent omnes Dextri editiones, in eo etiam „ ſubleſtae fidei, veroque contrariae."

II. *Honore ſeculi praecipuus erat*] De legibus quâ pro Judaeis, quâ adversus Judaeos Chriſtiano Sec. V. latis, uberrimè civilis prudentiae lumen Jacobus Gothofredus (*in Lib. XII. Cod. Theodosiani Tit. I. Paratitlis.*) Et eiusdem Tituli 24. *legem* Honorius tulit, ratus, ut Baronii verbis (*é num.* 67.) utar „ exemplo Minoricensium Judaeo„ rum conversionem ipsorum vexatione esse „ tentandam." Gothofredi autem in laud. legis Comment. iſthaec sunt: „ Ex hac tota

„ lege

„ lege apparet quantopere hæc adhuc tem-
„ peſtate (anno CCCCXVIII.) Judaeorum
„ ratio habita fuerit, ut qui ad omnes pro-
„ miscué militias admitterentur, usquequó
„ id rursum Honorius hac lege prohibere ne-
„ cesse habuerit, imò quibus & ipse, non
„ in totum muneribus publicis interdixit, ve-
„ rum nonnulla reliquit, idque ſatis timidé.
„ : : : Et húc facit quod Rutilius Numati-
„ anus (*Lib. I.*) hoc ipso tempore ſcribit
„ de Faleria, cuius loci curam gerebat Ju-
„ daeus: *Atque utinam numquam* cet. Quod
„ Baronius de Judaeis Insulae Minoricensis,
„ & de Theodoro Judaeo summae autorita-
„ tis, etiam inter Chriſtianos, belloque in-
„ ter Judaeos, & Chriſtianos conflato, hoc
„ ipso anno memorat ex Vaticani Severi Epis-
„ tola, non adeo hinc abludit."

III. *Legis Doctor & : : : Pater Patrum fuit* | Horum altero elogio Virum, cui tradendae, exponendaeque legis provincia demandata, quales Coecilianum, & Florinum fuisse (*num.* 14.) Severus mihi designat, perspicuum est, altero, non minorum gentium Patriarcham, ſed *Primatem*, Synagogaeque Praefectum significari credidero, qui Noſtrates inter Judaeos tantum caput efferret,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Plura, é quibus nonnihil Severo lucis affunda-

datur (in *Paratitlis* indicatis) Gothofredus dabit.

IV. *Cunctis curiae muniis exsolutus*] Apposité Merillo (*Observ. VII.* 26.) praeeunte, Heineccius (in *Antiquit. Roman. Syntagm. ad Lib. I. Instit. Tit.* 10.), multis in hanc rem Coesarum legibus laudatis „ non putan„ dum, inquit, curiae oblatos confestim fac„ tos esse Decuriones, sed curiae adscribe„ bantur, eique serviebant periculo suarum „ facultatum : : : curiae tamquam glebae ad„ dicti." Imò cum & Curialium varii ordines essent, varii gradus, & ex Valentiniani Secundi lege (an. CCCLXXXI. lata) *gradatim* munera curialia sustineri opus esset, haud inconsultò *cunctis curiae muniis exsolutus* Theodorus dicitur.

V. *Et Defensor iam extiterat*] Juvabit etiam quae de Defensoribus Civitatum Gothofredus (*in Paratitl. Tit. de iisdem*), aut quae Perezius saltem (*ad Codic. Justinianei Lib. I. Tit. LV.*) in unum contulit legere.

VI. *Patronus municipium habebat*] Romanorum coloniis, Urbibus sociis, gentibus amicis, quin & universis feré negotiatorum, artificumque collegiis proprium Patronum fuisse neque perfunctoriè, neque de trivio hausta eruditione Heineccius (*Instit. Lib. I. Tit.* 2.) ostendit. Ipsum confersis, & Gothofredum

(*in*

(*in leg.* 61. *de Decur. Commentario.*)

VII. *Patroni Stephani* | Quo Levitarum Antiſtitem Severus Noſtras encomio , Gervasium, & Protasium Ambrosius (*Epiſt. XII.*), Felicem Paulinus (assiduó), Cyprianum Vetus Scriptor Homiliae de eodem (*in Hiſtoria Persecutionis Wandalicae descriptae*), Apoſtolorum Principes Antoninus Conſtantinae in Africa Episcopus (*Epiſtola ad Arcadium*), Leo (*Serm. in ipsorum Natali , & aliis in locis*) extulere. Taceo in *V. Paulini Epiſt.* (*Edit. memoratae*) *not.* 16. laudatos. Taceo Theodoretum. Taceo Prudentium , quin & ſequiore aetate Sanctorum pignora *patrocinia* aliquando dicta praetereo.

VIII. *Patrocinium deprecabantur* | A Nostratibus quaecumque Beatorum opem aegris mortalibus implorare , & fas eſſe , & perquam iisdem opportunam credidere religionis decora ſtarent , quorum in teſtimoniis recitandis , muniendisque Bellarminius (*de SS. Beatitudine Lib. I.*), Dionysius Petavius (*Lib. XIV. de Incarnat.*), Natalis Alexander (*Dissert. XXV. in Sec. V.*), Pougetius (*Inſtitut. Catholic. P. II. Cap. II.* §. 3.), Joannes Chrysoſtomus Trombellius (in *de cultu Sanctorum Dissertat.* passim), cum diligentiae , cum ingenii nervos contulere. Infinita é Sacramentariis , Orationariis, Miſſalibus , Litur-

turgicis aliis Libris pro eadem ſententia promi poſſent. Accederent Inscriptiones à Zacharia (*extremo capite*) allatae. Illud veró non tam ſuspicari collibitum eſt , quam credere in magnam Noſtrates spem erectos, Martyrum Coriphaei praesidium, peculiarem eam ob causam imploraſſe, quód totum, quantus quantus ille erat , se penes esse ſacris in eiusdem exuviis non ambigerent , illa nimirum ratione, qua Gaudentius Brixiensem XL. Martyrum Basilicam , in qua exiguam dumtaxat cinerum illorum partem condiderat, (*Serm. in Dedicat. eiusd. Basilicae*) *concilium Sanctorum nuncupari oportere decernebat*, Paulinus , qui *in parvo,* ut ipse loquitur, *pulvere* Andraeam, Lucam, Nazarium, & quos memoravi Gervasium , & Protasium *una arcula contineri* (Epiſt. XXXII. laud. ad Severum) ſcribit, & ut alios mittam ab Honorato â S. Maria (*Lib. V. Dissert. VI. art.* 5. §. 4.) appellatos, Colonienses Cives, apud quos, ut Surius (*ad XIII. Octobris diem*) refert „ factum eſt quasi in proverbium domi „ eſſe S. Severinum Episcopum;" cuius non ita pridem reliquias receperant.

IX. *Ex Maioricensi Insula* : : : *reverteretur* | Vix dum Solyma exciſſa in alterutram é Balearibus Hebraeos ſese recepiſſe , & ex Maiore in noſtram , sivé é Noſtra in Maio-

rem

rem commigrasse, Franciscus Garavius, qui Severiana isthaec bené nôrat, in Opusculo, cui titulum fecit: *La Fe Triunfante* (*Reflex. I.*) coniectura haud aspernanda permotus, arbitratur. Fertur etiam eam Oppidi partem, vulgô *Pont del Castell* Magonensibus Judaeis domicilium fuisse. Non dissentio.

X. *Vicinum Oppidum*] Jammonam, non illud quod *Alayor* vocamus, cuius nomen ab Armstrongio perversum diximus.

XI. *Exaltabitur*] Cum Severianis temporibus Latini divinorum Librorum Interpretes *numerari non possent*, ceu Hieronymus (*Praefat. in Josue*), & Augustinus (*Lib. II. de Doct. Christ. cap* 11.) testificantur; ¿ eccui mirum esset illius Praesuli nostro copiam codicis factam, qui *tò exaltabitur*, quod & apud Cyprianum (*Epist. LII.*), Pacianum (*Epist. III.*), Paulinum (*Epist. I. al.* 6., *Epist. III. al.* 45., *Epist. VI. al.* 42., *Epist. XI. al.* 26.), Taionem (Ep. laud.) legitur, referret? Quod mox sequitur *& alta* in aliis desideratur. Sed et Petrus Chrysologus, & Hormisdas, & Taio mox appellatus *munita* habent. Accuratissimus Sacrorum Bibliorum Veteris Italicae Editionis Illustrator Petrus Sabbatierius (*in Proverb. locum indicatum*) conferendus.

XII. *Famuli Christi*] Indictos heic volumus,

mus, quorum sermonibus huiusmodi encomium pervagatum, Paulinum, Marium Mercatorem, alios praeterea, qui iure peculiari illud adsiscivere sibi.

: : : : : : : : : : : : : : : Natos melioribus annis, *Christi famulos* & haberi, & dici gloriae sibi ducere solitos, lapides ipsi fidem faciunt, e. g. *Cyriaci* (apud Maffeium *in Mus. Veron. pag.* 448.), *Agrippini Com. Civ. Episcopi*, *Pompeii Episcopi Neapolitani* (*apud Zachariam cap.* 4.), *Hilarii* (apud plerosque), *Devoti* (*apud Generium Theol. Dogmat. Scholast. Tom. I. in Monum. Antiq. Clas. XI. num.* 5.), *Pauli* (*apud Cl. Moralesium Chron. Hispan. Lib. II.*)

AD NUM. V.

I. *Commonitorium*] Fleurio Commentarius (*Memoire*), Dameto Admonitio (*Monitorio, ô aviso*), quod si in hanc ipsam Severi Epistolam illatum non est, requiri sané potest, reperiri fortassé non poterit.

II. Cuius regnum non in sermone, sed in virtute est] Eadem oppidó ratione Paulinam è *I. ad Chorinth. Epistolae cap. IV. ver.* 20. sententiam Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Ruffinus (*in Histor. Ecclesiast.*), Martinus (*apud Severum Sulpitium*) intellexe-

lexere. Et Macarius Senior, cum Eunomianae factionis Achillem, ut Cassianus (*Collat. XV. cap. III.*) est autor, ad incitas redigeret, haud alio sané pacto illius vim Oraculi, potestatemque extulit.

AD NUM. VI.

I. *Lucas sacrae historiae inseruit* | Actorum igitur Apostolicorum Scriptor, per Severum, Lucas est, quemadmodum Joanni Chrysostomo (*Hom. I. in Act. Apost.*), Gregorio Nazianzeno (*Orat. I. in Julianum*), Gaudentio (*Serm. XVII.*), Hieronymo (in *de Scriptor. Ecclesiasticis cap. VII.*), Paulino (*Póem. 24. á v. 425.*), ¿cui non?

AD NUM. VII.

II. *Devota quaedam* | Hanc cur in Augustinensibus Sanctimonialibus (quarum iam Severiana tempestate Parthenonem apud Nostrates fuisse, Jordanius ait) nonnulli annumerârint, prorsus ignoro. Fateor à Virginum numero eam non esse segregandam, quarum ingentem apud alias Ecclesias cohortem floruisse, ut de Cartaginensi Cyprianus (*Lib. de Habitu Virginum*), de Romana Hieronymus (*Epist. ad Principiam*), de Aegyptiaca, Syriaca (*Epist. ad Sabinian.*) Maximus idem

Doc-

Doctor, de C. Politana J. Chrysostomus (*Homil. LXVII. in Matth.*), de Mediolanensi, Alexandrina, universisque Orientalibus (*Lib. I. & III. de Virginibus*) Ambrosius, de Africana Augustinus (*variis in locis*), de aliis alii testificantur. Sed quoniam duas Virginum classes agnoscere oportet, aliae enim, ceu Innocentius I. (*Epist. ad Victricium cap.* 12., & 13.) loquitur, *Christo spiritualiter nupserant, & velari à Sacerdote meruerant*, aliae necdum Sacro velamine tectae, *se semper in proposito Virginali permanere promiserant*, qua de re multa Coustantius (*in laudatam Innocentii Epistolam*) Marteneus (*Lib. II. cap.* 6.) Thomassinius (*P. I. Lib. III. cap.* 52.); ¿ ecquibus Theodoram adsisciscendam putemus? In istis annumerarem, quoniam *devotae*, quo insignitur elogium, non in *sacratis*, quas primo loco memoravi Virginibus, sed in his poni solitum erat. Conf. Zacharia (*cap. VIII. num.* 4.) ubi é Fabretiano Syntagmate *Furia Helpis Virgo Devota* producitur, & Irenes Damasi Sororis Epitaphii (quod & acuté, solideque Perezius in *Append. Dissert. de Damasi Patria* elucidarat) priora disticha recitantur. En illius initium.

Hoc tumulo sacrata Deo nunc membra quiescunt
Hic soror est Damasi. Nomen si quaeris Irene.
Voverat haec sese Christo dum vita maneret. cet.

II.

II. *Virginitate corporis* : : : *typum portare Ecclesiae meruerat* | Addent se nostro socios Augustinus multis in locis, Sermonis *de Symbolo ad Cathecumenos*, qui inter Augustinianos circumfertur, Parens, Paulinus (*Poem. XXII. á vers.* 170.). Illustrem Ambrosii locum, (è *Lib. I. de Virginibus ante med.*) tantum sisto: „ Sancta Ecclesia virgo est castitate, ma-
„ ter est prole, parturit itaque nos virgo non
„ viro plena, sed spiritu, parit nos virgo
„ non cum dolore membrorum, sed cum
„ gaudiis Angelorum, nutrit nos virgo, non
„ corporis lacte, sed Apostoli : : : : virgo est
„ Sacramentis, mater est populis."

III. *Et religione propositi* | Id nobis virginitatis votum quod Hieronymo (*Epist. ad Laetam*) Innocentio I. (*Epist.* nuper indicata), Ambrosio (*Lib. III. de Virgin. initio*), & ut alios mittam Leoni (*Epist. II. ad Rusticum*) *propositum*.

IV. *Et nominis interpretatione* | Theodora graecum latiné *donum Dei* vertere licet. Nominum vero notatione Severi aequales mirificé delectati. Hieronymus (*Lib. contra Vigilantium* initio): „ Exortus est Vigilantius, „ seu verius Dormitantius." Ambrosius (in *Exhortatione ad Virginitat.*) „ Utriusque
„ (Vitalis & Agricolae) nomen aptum Marty-
„ rio, ut designati ad Martyrium ipsis vocabu-

 lis

„ lis viderentur. Ille Vitalis dictus est, quasi „ qui contemptu istius vitae veram illam vitam „ aeternam sibi haberet adquirere. Iste Agrico- „ la, qui bonos fructus spiritalis gratiae semi- „ naret, & sacri sanguinis effusione meritorum „ suorum, omniumque virtutum rigaret plan- „ taria." Augustinus (*Serm. CCLXXIII. al. de divers.* 101.): *Agnes latinè Agnam significat graecè. Erat Agnes quod vocabatur*, & (*Serm. CCCXV. al.* 30. *de Sirmondian.*) „ Nobis Sanctorum viginti Marty- „ rum series recitata est. Coepit ab Episcopo „ Fidentio, claudit ad fidelem foeminam Sanc- „ tam Victoriam. Initium á fide, finis ad Vic- „ toriam." Accedat Adeodati Romani Antistitis, quod é Reinesio (*Classe XX.* 3.) Zacharia (*cap. XIII.*) exhibet Epigramma, cuius en tertium distichum:

A Deo sic datus altaris fuit ille Minister
 nomen ut aequaret vita decora viri.

Mitto quae de Nicetae vocabulo Paulinus (*Pöem. XVII. al. XXX.*), de *Martyrii* Vigilius (*Epist. ad Joan. Chrysostom.*), de *Agapes*, *Chioniae*, *Irenes*, *Sadothi* qui illorum Acta conscripserunt, dixere. Alia é Laureti Sylva, Benedicti Feyjoòvii proeconio nobilissima, Nostris sat nota, & etiam trita, ligna ferres.

V. *Divini muneris largitate Sacerdotio fun-*

fungor | Eadem Cypriano (*Epiſt. XLV.*, *&* *aliis in locis*), Paulino (*Epiſt. XLI. al.* 26.), Leoni (*Serm. I. de Ordinatione ipsius*, *& Serm. II. in Anniversario Assumptionis ſuae die*), me verbo expediam, Pontificibus cum Summis, cum minoribus universis sententia insedit . ¿Quid miri, cum Caesares ipsi, Regesque se res adminiſtrare publicas *divinae Maieſtatis gratia*, *divina ordinante clementia*, *providente divina misericordia*, *divinae largitatis munere*, *gratia Dei*, *per Dei misericordiam* cet. profiteantur? Conf. Generiana Diplomatica ſegmenta *in Monument. Antiquitat. Clas. VIII.*, *& Clas. X.*, *Clas.* item *II.*, ubi *num. IV.* triplex *Othonis I. Sigillum*, *Othonis* III. aliud profert, & *Clas. I. Coronae aureae Votivae*, quam Longobardorum Rex *Agilulphus* S. Joanni Baptistae consecravit, Inscriptionem recitat.

VI. *Nobilissima vidua* | Continuó Dametus: Ob genus á Regibus, Patriarchisque. Memoria tamen repetito *Oseae cap. II. vers.* 19., & 20. *Sponsabo te mibi in ſempiternum.* cet. *Sponsabo te mibi in fide.*

VII. *Viduavit* | Bonaventuram, Dionysium Carthusianum, nobiles plerosque alios *Threnorum Jeremiae capitis I. vers. I.* Interpretes ſubscriptores habet. Conf. & Sebaſtiani Pauli in Chrysologi *Serm. XXXI. Nota* 5.

AD

AD NUM. VIII.

I. *Perfidi populi* | *Unius* cum Severo *labii* Dionysius Alexandrinus (*Epist. ad Paul. Samosatenum*), Ambrosius (*Epist. XXIX.*), Maximus (*Homil. II. de Epiphania*), Toletanae Synodi VIII. Praesules (*c.* 12.), Gregorius Magnus plus vice simplici.

II. *Propinqua illa* | Et in Sponsa, cui Hebraicus Textus, LXX. Viralis Versio, Hieronymus (Lib. contra Jovinianum) *proximae*, *amicae* Vulgatus Interpres nomen imposuit, praeclaram Christianae Ecclesiae laudem Cyprianus (*Epist. ad Magnum*), Pacianus (*Epist. I.*), Optatus (*Lib. I.*), Ruffinus (*in Psalm. LXVII.*), Augustinus (*Tract. V. in Joan.*), alii agnovere.

AD NUM. IX.

I. *Missis Clericis adventum meum nuntiavi* | Ni mea me fallat opinio, *minoribus*, quos non solum ea tempestate huiusmodi munia obire solitos, verum etiam ab Ambrosio, sivé ab alio, cui Ambrosii nomen aptatum (*Lib. de Dignit. Sacerdotali cap.* 3.), à Laodicenae Synodi (*can.* 20.), & Carthaginensis III. (*cap.* 21.) Pontificibus eodem vocabulo donandos, probè teneo.

II.

II. *Ad Ecclesiam ſanctam*] Idem veró plané erga divinas Aedes reverentiae epitetum Cyrillus Alexandrinus Antiſtes (*adversus Antropomorphitas* disputans), Joannes *Eleemosynarius* vulgó dictus (apud Leontium *in eius Vita*), Lucianus (*cit. Epiſt.* ſaepé numerò), Eudoxia (*in Porphirii* Gazensis Praesulis *Vita* apud Surium), Venantius Fortunatus (*Lib. II. Carm. III.*) iure ſummo praemissere.

III. *Accedere dignarentur*] Quandoquidem *futurus erat honeſtissimus de lege conflictus*; „ Cauſam fidei (ut ad Valentinianum *Epiſt. XXXII.* Ambrosius ſcribebat) „ in Eccle„ sia agendam quis abnuat? Et (*Orat. adverſ. Auxentium*) „ Si tractandum de fide „ eſt, tractare in Ecclesia didici, quod Maio„ res mei fecerunt."

IV. *Corrupissent*] Unus pro mille, qui millium inſtar eſt Auguſtinus Severo dexteram porrigens (*Enarrat. in Psalm. XCI.*) consulendus.

V. *Oſtenderent praeceptum* cet.] Non alia prorsus ac Severum ratione de Sabbathi religione praeceptum quá morum disciplinae Magiſtros, quà Sacros *Exodi XX., & XXXI. Capitum* Interpretes intellexisse, qui tam certum esse quam quod maximé dubitaret, illos vel ne á limine quidem ſalutasse dicendus esset.

VI. *Ad domum in quam hospitio accesseram*

ram | Jammonae ergo Antistitibus Noſtratibus ſedes erat, & haud ſcio ſatis risumne, an ſalivam movere debeant, qui Jamnotani vici *el Palau* (Palatium latiné redderes) ab Episcopalibus primúm, dein Mahumeddani Principis Aedibus ibi positis, nomen deducunt. Freretum, quem in aliis probare nefas ducerem, heic audio, á quo (*Tom. XXIV. Hiſtor. Regiae Academiae Inscript.*) optimé conſtitutum, conie&uris ab id genus originationibus petitis nihil effici.

VII. *In civitate Romanis legibus ſubdita* | Queis in ſeditiones acerbissimae illae poenae ſancitae, quas Dig. *Lib. XLVIII. Tit. Ad leg. Juliam de vi publica, &* *l.* 38. §. 2. *Tit. de Poenis* legere eſt. Porro tametsi *Municipium* Magonam ſuperius Praesul Noſtras dixerit, Municipia autem, Gellio autore, *propriis legibus* uterentur; triplex Municipiorum genus Aulus ipse agnoscit, & longé aliam Municipiorum conditionem, Re inclinante Romana, ac florente fuisse liquet.

AD NUM. X.

I. *Hymnum Chriſto* : : : *canebamus* | Pro ſacris illis pompis, quas *Processiones* dicimus, haud ignobilis Theologus Jodocus Coccius (*Thesauri Catholici Lib. V.*) haec é Se-

vero

vero in medium attulit. Profectò ut ad calamitates depellendas, & beneficia impetranda ſaepè numeró illae indicebantur; in ſacrorum pignorum honorem, Ecclesiarum moribus assiduó consecratas, ex Joanne Chryſoſtomo (*Homil. LVIII. ad Populum Antiochenum* & aliis), Ambrosio (*Epiſt. XXII. & Exhort. ad Virginit.*), Paulino (*in Vita Ambrosii poſt medium*), Hieronymo (*contra Vigilantium*), Luciano (*in Epiſt. toties laudatae clausula*), Uzalensi (*Lib. I. cap. I.*), aliis probé novimus. At de his Pougetius (*P. III. cap. IX. §. I.* & *P. V. Sect. III. cap. II. §. 4.*), & quos Pougetius ipse laudat, Gretserus, & Serarius, ille in *de Eccles. Cathol. Processionibus*, hic Lib. *de Processionibus* si otii tibi eſt â rebus tuis, consulendi. Hymnum autem, quem Reparatori Noſtrates accinebant, *IX. Psalmum* fuisse credidero, nam & quae proxima eſt periodi particula *autem*, id mihi significare videtur, & ita hymnum carminibus ligari oportere, ut hymnus ſecús esse non possit, neminem iam futurum puto qui aiat. Atqui sive Hieronymo assentiri placeat, cui Psalmi illi, *qui Dei fortitudinem, & maieſtatem praedicant, & eiusdem ſemper beneficia, vel facta mirantur*, hymni ſunt, sive Auguſtino, cuius (in *Psalm. LXXII. num. 1.*) haec eſt hymnorum finitio: *Laudes*

Dei

Dei *cum cantico*; haud infirmum iudicio meo accedet pondus.

Priusquam ad alia, duo ſunt quae adiiciam. Primum Noſtratibus ſanè plaudendum esse, propterea quód cum „ de canendis Psalmis „ ipsius Domini, & Apoſtolorum documen„ ta, exempla, & praecepta habeamus," ut ſcité Auguſtinus (*Epiſt. LV.*) ſcribit „ rem „ tam utilem, & ad movendum animos, & ac„ cendendum divinae affectum dilectionis," cuius & locupletissimos teſtes, & invictissimos vindices, & laudatores eloquentissimos Card. Bona (*de Divina Psalmodia cap. I.* § 3. *&* 4.) Thomassinius (*P. I. Lib. II. cap.* 71. *& ſeqq.*), Marteneus (in *de Antiqua Ecclesiae Disciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. III.*), alii produxere, ad eosdem pervagatam videamus. Alterum non Ecclesiaſtici tantum viri, ſed etiam Laici Psalmos ut canerent ſuperiore aetate disciplinam obtinuisse, apud Chrysoſtomum (Hom. XI. in Matth.), Ambrosium (*in Hexaemeron*), Paulinum (*in Vita Ambrosii*), Auguſtinum (*Confess. Lib. IX. cap.* 7.), Chrysologum (*Serm. V.*), Venantium Fortunatum (*Lib. II. Carm. X.*), manifeſtum esse.

II. *Cum ſtrepitu*] Sic & Auguſtinus, & Corbeiense Psalterium.

III. *Qui ſolus bonus Paſtor eſt*] Missa facio

cio nullo feré negotio ex *Joan.* Evangelii *Capp. X. & XXI.*, eiusdem Interpretibus, Pougetio (ubi *de Christi officiis*), aliis, in quibus multa de *ovili*, *grege*, *pastoribus*, *ovibus*, *agnis*, *lupis* parabilia. Verissimé Ruinartius (ad illa *Passionis SS. Perpetuae*, & *Felicitatis num. IV.* verba: *in habitu pastoris*) „ vix „ ullum (ait) reperiri est antiquitatis monu„ mentum, in quo Christus sub specie Pastoris „ depictus non sit. Habes eius rei passim mul„ ta exempla in *Roma Subterranea.*" Videndus et Blanchinius (*in Tom. II. Anastasii Bibliothecarii Annotat.*) Ego é Re Sigillaria unum *Sancti Deus dedit* plumbum, quod (in *Praef. ad Inscript. Donianas*) Antonius Franciscus Gorius affert , indico, in cuius adversa parte haec est inscriptio: *Deus dedit Papa.* In aversa, Pastor bonus insculptus, duas oviculas, utraque manu, demulcens, cum litteris *Alpha*, & *Omega.*

IV. *Omnimodis debemus vitare mendacium*] Oracula à Veritate ipsa adversus mendacia edita diverso nonnulli modo Severi aetate intellexere, sed Nostro tot doctissimi viri auxilio essent, ut vel eos nominare Fabium loquacem delassaret. Limpidos dumtaxat fontes Augustini *de mendacio*, & *contra mendacium* Libros indicasse, me iuvabit.

V. *Ex Christianorum numero inventus est*]

Et tamen iſtum vir coetera eruditus, ſed qui in Dextro illuſtrando operam non tam impendit, quam prodegit Bivarius Judaeum fecit. ¿ Verum queî fecit?

VI. *Ignis absumpsit* | Flammam hanc cûr é coelo Lorinus, & Alapide deduxerint, non capio. Dametus, Baronio praede advocato, multarum Synagogarum incendiarios noſtrorum civium exemplum sibi ad imitandum proposuisse ait. Apud Baronium autem haec legas: „ Sed & illud accidit, ut cum eaedem „ Severi Episcopi litterae per omnes Ecclesias „ legerentur, chriſtianorum pariter omnium in„ cenderentur animi, ad conversionem Judae„ orum aggrediendam, iisdemque initiis auspi„ candam, quae cepisse ſcirent Minoricenses, „ nempe incensione Synagogarum ipsarum. To„ lerabilis visà eſt Magiſtratibus eiusmodi, ex „ pietate proveniens, vis illata. Sed cum nec „ ob eam causam Judaei converterentur, ii„ demque apud Imperatores queri minimé de„ sisterent, opus fuit tandem consulere illis, „ factumque eſt, ut poſt annos demum quatuor „ Imperatores ſancirent ędictum, quo eiusmo„ di Synagogarum prohiberent incensionem. „ Sed quód nec sic desiſterent, qui ſemel ſump„ ta licentia hoc aggressi fuerant chriſtiani, aliis „ eodem anno editis ſanctionibus" (*leg.* nimirum *Cod. Theod. de Judaeis XXV., XXVI.,*

&

& *XXVII.*, quas confersis) „ oportuit cohi-
„ beri. Ceterúm, quód non idem consecutus
„ est eventus, plané notum facit, non Syna-
„ gogae conflagratione, sed Protomartyris vir-
„ tute in ostensione signorum, Minoricenses
„ Judaeos ad fidem conversos, ut ex dicta
„ Epistola satis exploratum habetur."

VII. *Argentum : : : ipsis reddidimus* | Secús Alexandriae paucos post annos factum Socrates (*Lib. VII. cap.* 13.) autor est, secús Mediolani, ut Theodoricus apud Cassiodorum (*Epist. Lib. V. Epist.* 37.) scribit, secús fors aliis in locis. Sed Nostratum agendi ratio magnoperé commendanda. Conf. Augustinus Epist. XLVII. ad Publicolam data, é qua isthaec huc transferimus: „ Cum templa,
„ idola, luci, & si quid simile : : : evertun-
„ tur, quamvis manifestum est cum id agi-
„ mus non ea nos honorare, sed potius de-
„ testari, ideo tamen in usus nostros privatos
„ dumtaxat, & proprios non debemus inde
„ aliquid usurpare, ut appareat nos pietate
„ ea destruere, non avaritia."

VIII. *Eversa : : : Synagoga* | Quod Idolorum Templis usu primum venire solebat, ut exciderentur, Judaeorum Synagogis ut contigisse conficiat Marteneus (in *de Antiq. Eccl. Ritib. Lib. II. cap. XIV.* §. *VI.*) Severiana, quae paulo ante expendimus indicat, & quae

rem

rem ad eamdem confirmandam opportuna é num. 20. exiſtimavit, haud praetermissit.

IX. *Autori victoriae noſtrae gratias referentes* | Grati animi ſensus in potissimis religionis officiis habitus, & haud diſſimili ſermone expressus á Mose (*Exodi cap. XV.*), Davide (*Psalmo XVII.*), Iuditha (*cap. XVI.*), Lactantio (*Lib. de Mortibus persecutorum capite poſtremo*), Conſtantino (ap. Eusebium in eius Vita *Lib. I. cap.* 40.), Apamiensibus civibus, qui, ut Theodoretus (*Hiſt. Eccles. Lib. V. cap.* 21.) memoriae prodit „ cum eorum Antiſtite Marcello, viro „ plané divino orante, idolorum fanum fundi„ tus eversum esset, hymnos in ſupremi om„ nium moderatoris laudem canere coepere," Theodosio tandem, qui ut á Nicephoro (*Lib. XIV. cap.* 17.) accepimus, cum ei victoria de Joanne Tyranno renunciaretur: *ante* (inquit) *in aedem hanc precatoriam eamus, & carmina gratiarum, Autori victoriae noſtrae concinamus.*

X. *Tenebrosorum pectorum infidelitas coargueretur á lumine* | Egregié *in laudem gloriae gratiae* Dei, quemadmodum ex Davidis, Isaiae, Pauli innumeris teſtimoniis, Cypriano (Lib. *de Oratione Dominica*), Basilio (*var. in locis*), Chrysoſtomo (*variis ad pop. Antiochen. Homiliis*), Ephremio (*in Tractatu*

de

de Timore animi paulo post medium) Augustino, cum *in Enarrat. in Psalm.*, cum in lucubrationibus *adversus Pelagianos* saepissimè, parvulo labore conficias. Alia è Patribus iuniores Theologi gratiam in mentis illustratione constituentes conglobata dabunt. Multa etiam in Liturgicis Libris passim reperies. *Unum* heic ego *Magistrum nostrum Christum*, quoniam eius verba peculiariter ad Judaeos accomodari posse Lorinus rectè observat, produco, qui (*Act. cap. XXVI. vers.* 16. & *sequent.*) Paulo dixit: „ ad hoc apparui tibi ut constituam te ministrum & testem „ eorum quae vidisti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te aperire „ oculos eorum, ut convertantur â tenebris „ ad lucem" cet.

AD NUM. XI.

I. *Primogenitus*] Rubenum nostrum cum Jacobi filio cognomine Severo conferre placuit, quem iam iam moriturus genitor (*Genes. cap. XLIX. v.* 3.) hunc in modum allocutus est: *Ruben fortitudo mea* : : : *prior in donis.*

II. *Judaicae superstitionis*] Neque minima iniuria verbo, cum Caesaribus (*Cod.*

Theo-

Theodos. Tit. de Jurisdict. l. 10., *de Judaeis l.* 18., *&* 24., *de Decurionibus l.* 55., & aliis) ſolemni, cum Eccleſiaſticis haud infrequenti. Confersis Antiochum (*Homil. LXXXIV.* in Biblioth. PP. Tom. XII. illata) & Graecorum Euchologium (*in Ordine ſervando circa eos qui ex Hebraeis ad chriſtianam fidem accedunt*).

III. *Signum ſalutare ſuscepit*] De Cathecumenis Crucis signo muniendis, *Apoſtolica*, ut in Schola loquimur, *traditio*, cuius Ambrosius (*Lib. I. de his qui initiantur*), *Sermonis de Symbolo ad Cathecum.* Scriptor, Auguſtinus multis in locis, Juſtus Orgellitanus (*in Cantica n.* 18.), PP. alii, Liturgici etiam Ordines à Marteneo (*cap. I. art.* 7.) descripti, é quibus nonnullos mox laudabo, teſtes locupletissimi ſunt, apud Noſtrates Civitate donata. Placet addere, quam à Severo Cruci laudem, ab Hieronymo (*in Vita Pauli*), Chryſoſtomo (*Homil. de Adorat. Crucis*), Sulpitio Severo (*in Vita Martini*), Theodoreto (*in Hiſtoriae Religiosae multis locis*) consecratam.

IV. *Obſtinatissimam duritiem*] Ut alios taceam, Gregorium Magnum (*quam ſaepissimé*), Maximum (*Homil. II. in Epiphaniam*), Aratorem (*Lib. I.*) consentientes ſecum habet. Sed de his plura, & egregia Lori-

rinus (*in* toties laudatum *Act. Libr. cap. VII. vers.* 51).

V. *Quatuor leprosi* cet.] Rei utriusque gestae expositio *IV. Regum Libri cap. VII.* & *Judic. VII.* litteris consignata, Patrum sermonibus celebratissima. De illa qui egregias Eliséi laudes cum omni posteritate ut adaequarent, summa ope nisi sunt. De ista Augustinus (*Quaest. XXXVII. in Judic.*), Paulinus (*Epist. XXIV. al.* 2. *num.* 23.), à Rosweido (in eamdem Epistolam) laudati, & (*Lib. VII. de Gubernat. Dei cap.* 8.) Salvianus.

VI. *Ubi timor non erat*] Ceu á iocosa imagine Davidis voces (è *Psalmi XIII. v.* 5.) redditae.

AD NUM. XII.

I. *Psallentes Monachos*] Re quidem vera, non exiguam Monachorum vitae partem in Divinis laudibus (iuvat Ecclesiastica vocula uti) *psallendis* exactam Monasticarum parentes familiarum, Monasticarum legum latores, Monasticorum Institutorum laudatores inclyti, & catholicae fidei pugiles strenuissimi declarant. At nolo in sacrorum Antiquariorum peculium invadere. E Severianae aetatis luminibus pauca appello Hieronymum

(*Epis-*

(*Epiſtolis ad Laetam*, *ad Ruſticum*, & *ad Euſtochium*), Auguſtinum (*Lib. de Moribus Ecclesiae Catholicae*), Cassianum (*Lib. II. de Inſtitutis Coenobiorum*, & *III. Lib. cap.* 2., *&* *ſeqq.*) multis hac de re disserentem, Sidonium (*Lib. V. Epiſt. XVII.*)

II. *Nihil de simplicitate dictorum eius ſubtraham* | Audisis iterum Anonymum, cuius é *Praefatione* iſthaec ſunt „ ubicumque res pos„ tulaverit ipsorum quoque hominum verba, „ sicut ab eis dicta ſunt simpliciter ponere „ non debeamus erubescere. Magis enim pla„ cent bonis, ac religiosis viris quaecumque „ dicuntur vera, etiam vitiosis verbis, quam „ falsa politis, & ornatis."

III. *Materno ſuscepit sinu* | Ecclesiam Matrem vocare maioribus volupe erat. Iſthoc illam nomine ornavere Tertullianus, sive *Poematis contra Marcionem* Parens, Cyprianus (*Lib. de Unitate Ecclesiae assiduò*), Auguſtinus *ſaepissimè*, qui et *Lib. de moribus Ecclesiae Catholicae cap.* 30. consulendus), Paulinus (*Póem. XXII. poſt medium*), Vincentius Lirinensis (*Commonit. II. cap. poſtremo*), et ut Tronsonius dixit, *Patres passim.*

IV. *Benedictus eſt* cet. | E *II.* Pauli *ad Corinth. Epiſt. I. cap. V. v.* 3., et Jeremiae *cap. IX. vers.* 1. iuſta, & feré quidem syl-

la-

labatim, periodus excerpta.

V. *Peractis* ::: *mysteriis* | Dignus sané essem qui otio marcescere dicerer, si Eucharisticum Sacrificium *mysterii*, et *mysteriorum* nominibus, & iure quidem summo, indicari, monstrare vellem, quod vel é PP. testimoniis, à Schelstratio, aliisque *de disciplina Arcani* disputantibus, allatis, ut Basilii, Ambrosii, Theodoreti manifestissimum est. Creberrimé Chrysostomi in ore huiusmodi locutiones: *Initiati sciunt quod dicitur. Norunt fideles. Ne quis Cathecumenus. Ne quis eorum qui non vescuntur.* ¿ Quei plura? Ecclesiasticos Antiquarios conferto, maximé Bonam, & Marteneum.

VI. *Christi caracterem* | Baptismum intelligo, in quo *Divinum signaculum* Eusebius (*in Vita Constant., & al. loco*), *signaculum spiritale* Ambrosius (*Lib. I. de Spir. Sancto cap. 6.*), *Signaculum sanctum* Cyrillus (*Praefat. ad Cathecheses*), Paulinus (*Epist. X. al. 15.*) *signaculum salutare*, *Domini signum* Theodoretus, *caracterem Dominicum* Augustinus (*Lib. VI. de Baptismo contra Donatistas cap. I.*) agnoscebant.

VII. *In frontibus eorum* | Enim veró quod ad Cathecumenorum corporis partes cruce signandas attinet, non unam Ecclesiarum consuetudinem fuisse Marteneus (*cit. toties I.*

cap., *&* *Artic. VI. num.* 6.) observat. Sed & vir eruditissimus multa in medium affert documenta Severianae agendi rationi mirificé consentanea, ex Ambrosiano nimirum, & Laudensi Ritualibus, é M. SS. Ecclesiae CPolitanae, & Aquensis Pontificalibus, queis Augustini (*Lib. de Cathechizandis Rud. cap.* 20.) testimonium adiungito.

VIII. *Signum salutis impinximus*] Confersis quae ad illa verba *signum salutare suscepit* paulò ante animadvertimus. Neque enim Dameto assentiri possum, qui Severiana isthaec de *Chrismate* intelligit, quoniam tametsi *Confirmationis* Sacramentum, ob *chrismationem*, *signaculum Dominicum* á Cypriano (*Epist. LXXIII.*), *signaculum spirituale* ab Ambrosio (*Lib. de Sacram. III. cap.* 2.), *signaculum vitae aeternae* á Leone (*Serm. IV. in Nativit. Dom.*), ab Autore *Eclogae Vitae Athanasii* (*apud Photium*) *christi signaculum* appellatum probé sciam: quos Nostras memorat, christianis nondum undis abluti erant: & veró nondum Baptismo mundatos, chrismate numquam unctos é Synodorum, Patrumque testimoniis, Summorumque Antistitum decretis tam liquet, ut nihil magis. Theologi *de Sacramento Confirmationis* disserentes uberrimam illorum sementem fecere. Morinus (*Exercit. de Sacram. Confirmat.*

mat. cap. II.), Marteneus (laud. *cap. I. art. XV. num.* 2.,) & Selvagius (*Lib. III. cap.* 5.) conferendi.

IX. *Christi virtute*] Magna Severiana inter ista, atque huiusmodi alia, ut *ordinatione Dei* (*num.* 10.), *boni pastoris nutu* (*eod. num.*) *virtute Spiritus Sancti* (*num.* 5.) cet., cum infinitis ex omni feré monumentorum genere cognatio. In numerato habemus ex Hieronymo (*Praefat. in Esdram, & Nehemiam ad Domnionem, & Rogatianum*) *iuvante Christo*, ex Augustino (*Lib. IV. de Doctr. Christ. cap.* 1.) *adiuvante Christo*, ex Possidio (*in Augustini* Vitae initio) *inspirante Deo*, ex Vincentio Lirinensi (*in Commonitorii* exordio) *Domino adiuvante, Christo adspirante, Domino praestante*, ex Paulino (*Ep. ad Severum I. al.* 6.) *Domino praestante*, ex Gregorio Turonensi (*Lib. de Glor. Conf. cap.* 20.) *inspirante divinae pietatis instinctu*, cet., ex Uzalensi (*Lib. II. cap.* 1.) *adiutorio Domini nostri J. C.* Habemus é Liturgicis Codicibus ista: *te autore, te auxiliante, virtute Spiritus Sancti, in nomine Christi , praestante Domino nostro*, cet. E Ruinartianis *MM. Actis*: *ordinatione Dei, Divinae largitatis dispensatione, Deo largiente, Christo triumphante* , cet. E Lapidaria Re: *Deo, & Christo miserante, Deo autore, Domino*

mino miserante, *Dei auxilio* , *Divinitatis instinctu* , cet. E Diplomatica: *Deo dispensante*, *Domino ſuffragante* , *Deo annuente* , *Deo opitulante* , *adjuvante Domino* , *Sancti Spiritus ardore succensi*, cet. cet.

X. *Cum unusquisque* cet. | Longiúsculum tametsi, Anonymi locum (*é Lib. I. cap.* 4.) oppidó huic similem damus „ Quanta beneficia fuerint collata, & quotidiè conferantur, quanta miracula demonſtrata; : : : longum eſt nobis, & pené impossibile, universa memoria retinere, vel ſermone digerere, vel ſtylo mandare, cum unumquodque miraculum ſui generis quamdam historiam habere noscatur. De quibus tamen omnibus, quae neque explicare possumus, neque penitus reticere debemus, pauciora quaeque, & notiora eligimus." cet. Et Auguſtinus *Lib. XXII. de Civitate Dei cap.* 8. *num.* 20. conferendus.

XI. *Precibus veſtris adiutus* | Quem modó appellavimus Uzalensis (*in Praefat.*) se *Beatissimi Evodii orationibus adiutum*, *quae apud eos Chriſtus operatus fuerat* narraturum profitetur. Euthychium (*Praefat. Commentarii in Levit.*) Hesichyus ita alloquitur „ Obſecrare ut fiat oblatio verbi mei acceptabilis: : : : in omni terra." Salonium (*in Epiſt. laud.*) Salvianus obteſtatur „ ut oret „ Do-

„ Dominum, et orando impetret, ut libelli „ (*advers. Avaritiam*) á ſe elucubrati apud „ Deum ſcriptori ſuo prosint." cet. Paucu-lis multa complectar. Auguſtino pro Ecclesiae roſtris verba facturo, huiusmodi formula in ore ſaepé numerò „ Adiuvet Deus orationes „ veſtras, ut ea dicam quae oportet me di-„ cere, & vos audire." Conf. ipse Auguſt. (*initio Libri de Haeresibus*), Chrysoſtomus (*Serm. II. in Genes. exord.*), & Hieronymus (in *Praefat. Pentatheuc*).

AD NUM. XIII.

I. *Hispaniarum cladem* | Funeſtiſſimam tragediam à Barbaris actam intelligit, quam (ut Orosium, aliosque taceam) clarus ea tempeſtate Praesul Idatius (*in Chron.*) sic describit: „ Debaccantibus per Hispanias bar-„ baris, & ſaeviente nihilominus peſtilentiae „ malo, opes, & conditam in urbibus ſubs-„ tantiam tyrannicus exactor diripit, & mi-„ les exhaurit, fames dira graſſatur, adeó „ ut humanae carnes ab humano genere, vi „ famis, fuerint devoratae, matres quoque „ necatis, vel coctis per ſe, natorum ſuo-„ rum sint paſtae corporibus, beſtiae, occi-„ sorum gladio, fame, peſtilentia, cadaveri-„ bus aſſuetae, quosque hominum fortiores

inte-

„ interimunt, eorumque carnibus paſtae in „ humani generis efferantur interitum" cet. Apté vero ex iſto, aliisque Severi locis Caietanus à Maiorica *in Animadversionibus M. SS. ad Binimelis Hiſtoriam*, errare hunc colligit, anno CCCCXVII. Gothos in Baleares importantem, non enim ante CCCCXXI., si Marianae fides, *Wandali inſtructa claſſe in eas profecti ferro, flammaque* utramque *deformarunt*, sive ut Idatius, cui Severus fortaſſé Sulpitius aſſentitur scribit anno CCCCXXV. *Wandali Baleares Insulas depraedantur.* Conferendus Florezius (*Tom. IV. Append. V., & aliis in locis*).

II. *Cum Sacramentorum terribili interpositione* | Dametus vertit: *debaxo de ſolemne juramento.* Non placet. Sat eſt *con juramento.*

III. *Haec ab animo eius nomen Chriſti extinguere nequivit insania* | Cohibere ſe Dametus ipse noluit, quin vetus illud, multarumque gentium linguis pervagatum verbum: *durum eſt contra ſtimulum calcitrare* húc transferret. Ego verò imperare mihi vix possum, quin rem prorsus similem ab Augustino (*Lib. XXII. de Civitate Dei cap. VIII. num. XIII.*) memoriae proditam addam.

IV. *Teſtor illum, qui eduxit Patres nos-*

tros

tros de terra Aegypti] Ut ingentis beneficii memoriam, quam Deus ipse, trabali, ut ita loquar, clavo Hebraeorum animis infixam volebat, nulla deleret dies, religiosa huiusmodi affirmatio creberrimis illorum ſermonibus usurpata. Hebraicarum Rerum Scriptores, & Sacri Interpretes (ad *Jeremiae capp. XVI. v.* 14., *&* 15., & *XXIII. v.* 7.) consulendi.

V. *Scinderentur ſentibus*] Et húc Dametus Oseae illud è cap. II. vers. 6. translatum voluit. *Sepiam viam tuam ſpinis.*

AD NUM. XIV.

I. *Veritatem inscius loquebatur*] Egregié, quoniam miseris extra Ecclesiam positis nullam ſperare ſalutem fas eſſe, praeter Cyprianum (*loco nota XVII. ad num.* 2. *laudato.*), Hieronymus (*Epiſt. LVII. ad Damasum*), Auguſtinus assiduò, Optatus (*Lib. II.*), Fulgentius (*Lib. de Fide ad Petrum*), PP. alii neminem addubitare sinunt. Neque ab his abludebat Ursacius qui in Gruteriano eius elogio celebratur:

IN FIDE CATHOLICA CREDENS CONSISTERE VITAM.

II. *Ad percipiendum fidei bravium*] Auguror *tò percipiendum* Ecclesiatica nota signatam vocem, & non inconsultó usurpatam, prop-

propterea quód viris gravissimis de Baptismo sermonem instituentibus probatam nôrim ut Severo Sulpitio (*in Vita Martini*), Possidio (*in Augistini Vita*), aliis, neque in veteribus Saxis *Euphroniae* , *Paschasii* , *Ingeniosae* à Zacharia (*cap. XI.*) descriptis desiderandam.

III. *Ad Galilaei nostri*] Christi nimirum, cui ob pueritiam Nazareth exactam , Galilaei nomen inditum, imò ad fideles ipsa de causa derivatum, ita est vulgó notum.
„ Notior ut canibus iam non sit Delia nostris."

IV. *Nisi veritatem : : : sequerentur*] Id iure summo dictum adversus *rebelles lumini*, coelumque ipsum petentes stultitia, quicumque Christianam religionem vitae ducem, virtutis magistram, vitiorum expultricem esse ostendunt, demonstrarent , è quibus multos Dupinius (*in Bibliotheca Theologica*), alios Joh. Albertus Fabricius (*in Salutari Luce Evangelii*), alios Zacharia (*in Notis ad* quam nuper memoravi *Bibliothecam*), nonnullos Colletus (*in Praefat. Tract. de Vera Religione*) laudavere. Illis adiungito Gottium Card. vastissimo in opere, cui titulus *Veritas Religionis Christianae*, Nonnotum, Nogueram, politissimum Valsecchium , Jaminium , Danielem Concinam , Vincentium Monegliam , Eusebium Amortium , Espellium , Bergierium,
Con-

Confortium, Montargonium, elegantiſſimi operis *Le Conte de Valmont* Scriptorem, & ne lectoris patientia abutar, quó enim plures nomino, plures qui nominarentur digniſſimi mihi occurrunt, Grandium. Erit fortasis qui nobis illud oggerat: *Non erat his locus.* ¿Sed annon inconsultius, adversus Reparatoris placita hariolationes ſuas obtrudunt, quos rana Seraphia taciturniores eſſe oporteret, & qui, occasione non tam accepta, quam quaesita, ea peſſimis lucubratiunculis figmenta infarciunt, quae non dicam dúmtaxat *ad terras alio ſole calentes* (lubet é Hieronymiana Epiſtola verba haec mutua ſumere) *deportanda*, ſed

Non ſani eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes?

V. *Quae vinci non poteſt* | Cum Christianorum Doctoribus Judaeus Doctor & fuit, & ſapuit, Hieronymo (*Dialogo I. adversus Pelagianos*), Auguſtino *in Psalm. LXI.*) aliis.

AD NUM. XV.

I. *Hora ſeptima* | Quando quidem non alia Noſtratibus horarum ſupputandarum ratio erat, quam Romanis, diei auspicia ab oriente Sole ſumentibus, hora circiter prima pomeridiana Sacrum factum, quod feſtis diebus tertia (nobis nona ante meridiana),

 fe-

ferialibus sexta (sive meridiana) agendum, ex Sidonio Appollinari (*Lib. V. Epist.* 7.), Gregorio Magno (*Homil.* XXXII. *in Evangelia*), aliis Cardinalis Bona (*Rer. Liturg. Lib. I. cap. XXI.*), & Marteneus, qui Severiana isthaec describit (*Lib. I. cap. III. art. IV. num.* 3.) ostendunt. At quemadmodum Cassius Narniensis Episcopus, qui ut Gregorii (*è loco ante citato*) verba mea faciam „ oblaturus ad horam tertiam venerat, „ hoc, pro extensae orationis magnitudine, „ ad horam nonam usque protelavit;" sic & Minoricensis Praesul, quoniam, ut ipse mox subiungit: „ *cum advenientes ad Christi fidem Judaeos* vel exhortaretur, vel annotaret, *populus autem tanti gaudii epulis saginatus carnalium non meminisset escarum*, *pars diei maior excurrerat*, non ante horam septimam sacris operatus est.

II. *Missam Dominicam*) Et doctissimis viris, quod sua fortassis aetate primúm auditum est, *Missae* vocabulum usurpantibus Ambrosio (*Epist. XX. in Nov. Edit. al.* 14.), Augustino (*Serm.* XLIX. *al.* 237. *de Tempore*), Ruffino (*in Interpretatione Clementis Romani*) Severus adiungendus, *Dominicam* illam apellans, sive quód Dominica die celebrata fuerit, ceu Jordanio, & Dameto placuit, sive ea plané de causa qua Veteribus

ple-

plerisque *Sanctum Domini*, *Coena Domini*, Tertulliano (ad calcem *Libri de Fuga in persecutione*) *Dominica solemnia*, *Dominicum* Cypriano (*Epist. LXIII.*, et *in de Opere, & Eleemosyna*), Augustino (*in Brevic. Collat. cum Donat.*), in *Actis SS. Saturnini, & Sociorum* (*saepè numeró*) dicta est. Ut ut fuerit, est profectó cur Magonensibus gratulemur, quòd Eucharisticum Sacrificium, apud eosdem oblatum videamus, quod divinitùs afflatus Malachias (*cap. I. vers. II.*) praedixerat ubique gentium agendum, & apud alias actum, Patrum chorus à Bellarminio, aliisque laudatus, Conciliorum Canones á Pougetio producti, Liturgici Libri á Renaudotio, Marteneo, Muratorio, Assemanio in unum collati demonstrant.

III. *Solemniter coepimus celebrare*] Vel uná simul cum Presbyteris, quos Episcopo in intemerata hostia Aeterno Patri immolanda, socios fuisse ex Constitutionum Apostolis tribui solitarum *Libro VIII. cap.* 12., & 16., ex Synodi Ephesinae ad *Coelestinum P. M. Relat.*, Calcedonensis *Act. XI.*, & ut Athanasium, aliosque, tum á Bona (*Lib. I. c.* 18.) cum á Cathalanio (*in Pontif. Romanum Tom. I. Tit. XII.* §. 17.) appellatos praeteream, é Vet. Pontificali Rothomagensis Ecclesiae apud Menardum (*in Notis in Sacrament.*

Gre-

Gregor.) manifeſtum eſt, vel quòd ea pompa Sacrum factum, qua Miſſae Anaſtasio Bibliothecario (*in Vita Agathonis*), & Summis quibusdam Antiſtitibus *publicae*, á Walafrido Strabone (*cap. XXII.*) *generales*, Amalario *legitimae*, aliis *ſolemnes*, memoria nostra *Conventualis*, *Canonica*, *Capitularis* *Praecipua* vocatae.

IV. *Siquidem nomina cunctorum ſcripsimus*] Baptismo tametsi extraordinario (ut é Morino *Lib. de Vet. Cathecum. Disciplina* vocem mutuam ſumam) abluendos in Cathecumenorum syllabum referri prisco in more positum, non tantum é *Sebaſtiani* Martyris dubiae fidei *Vita*; verum etiam é legitimis monumentis, Basilii nimirum *Homil. Exhortat. ad Baptism. quae in Edit. Garner. XIII. eſt*, Auguſtini *Lib. IX. Confeſſ. cap.* 14., & *Quaeſtione* á Timotheo Alexandrino Patriarcha facta, Morinus ipse demonſtrat

V. *Sequeſtri in loco sita eſt*] Memini me paucis ab hinc annis, à Viro optimo, & qui multis bonis flebilis, nulli tamen quam mihi flebilior occidit, audiviſſe hanc, eo loci sitam, quem propè Carmelitanis Sodalibus magnificentiſſimum Coenobium aetate noſtra conſtructum. Non ille is erat, qui se rem acu tetigiſſe putaſſet. Ego Auguſtinianum illud

lud usurpabo : „ melius eſt dubitare de ocul-
„ tis , quam litigare de incertis."

VI. *In qua Sancti Martyris Stephani reliquiae conquiescunt*] In ipsa Dei domo Sacras exuvias condere maioribus ſolemne, cuius rei Eusebius (*de Vita Conſtantini Lib. IV.*), Basilius (*Hom. in Julittam*), Hieronymus (*Lib. contra Vigilantium*), Chrysostomus (*aſſiduó*), Auguſtinus (*multis in Sermonibus*), Severus Sulpitius (*de Vita Monach. Occid. Dial. I. cap.* 3.), alii é PP. teſtes luculentiſſimi ſunto. Mitto Veterum Chriſtianorum Inscriptiones, Martyrum Acta, Liturgica Monumenta. Taceo & eruditiſſimos viros, apud quos de probo huiusmodi ritu longus ſermo, ut Mabillonium (*Praefat. ad Sec. II. Benedictinum*), Marteneum (*Lib. II. de Liturg. Gallic. cap. XIII.* §. 8. & 12.), Trombellium (*Diſſert. VII. cap.* 13.), & Benedictum XIV. (*de Serv. Dei Beatificat. Lib. I. cap.* 3.) Nuda *Martyriorum Martyrum memoriarum*, *Martyrum* item *mensarum* nomina non praeteribo , queis ſcilicet ſacra ad Martyrum ſepulchra, aedificia posita, ſaepiſſimè indicata ; unus ille inficias ibit, qui ſacris in antiquitatibus peregrinus fuerit. Apposité autem *Stephani reliquias conquiescere* Severus dixit , quemadmodum & Paulinus (*Epiſt. XXXII. al.* 12.)

Sanc-

Sancta sub aeternis altaribus ossa quiescunt.
Prudentius (*Hymno V. de Coronis*)
Altar quietem debitam
Praestat beatis ossibus.
Ne multa. Notissima illa Ecclesiastici (*cap. XLIV. v.* 14.) sententia : *Corpora* Sanctorum *in pace sepulta sunt.* Notissima & *tó Coemeterii* originatio.

VII. *Duo quidam Monachi* | Quos ad Augustiniensium instituta vitam conformasse suam, ut Jordanio, & Rierae videbatur, perquam incertissimum est. Illa etiam (quae obiter dicam) non minus incerta, Severi opera, Augustinianam regulam Magonensibus innotuisse, Augustinianosque Nostrates antra Magoni vicina, quod Petro Campo placuit, sivé Monasterium, ut Jordanius, et Riera arbitrantur, incoluisse ; uterque licet eó progrediatur, (ut ille Coenobio nomen à *B. Stephano* inditum fuisse suspicetur, hic Divae Virgini *de Gratia* sacrum, ne hilum quidem addubitet. ¿ At quibus testibus ? ¿ quibus tabulis ? Severi ad Evodium Epistola, ea nimirum, de qua satis, superque verba mihi fecisse videor. Agam tamen cum Riera liberaliter. Fuerint propé Templum, nostra quoque memoria, eadem appellatione insigne, quae ipse indicat, & nos saepé vidimus, diruti aedificii vestigia. ¿ Quid isthaec diver-

sorii,

sorii, in illorum gratiam, qui Immaculatae Genitricis colendae ergó, illúc adventarent, & post Mahumeddanum Imperium in Baleari nostra profligatum constructi ruinas dicere nos vetat? A nemine qui cordaté sentiat Jordanius, & Riera extorquerent, ut ad popularem, cui ipsi innituntur opinionem, praeclaram illam Joannis Chrysostomi (*in II. Ep. ad Thessalonic. Capp. II., & III. Hom. IV.*) vocem: „Est Traditio, nihil quaeras amplius" accomodet; quin & prudentissimé á Norisio (*laud. Lib. I. cap. 23.*) dictum Augustinenses intelligunt „non adeó exilem Rem esse suam, quae faventibus superis per universum Orbem Colonias deduxit, ut quorumdam Monasteriorum, si fas est ita loqui, quasi rapinis augenda sit."

VIII. *Instar vasculorum, quae vulgó Orcae appellantur* | Singulas huiusce verbi *Orca* usurpationes Lexicographi, Pitiscus maximé, dabunt. Eas persequi haud vacat. Qua de Severus, *Orcam* vasis quoddam, sivé mellei, sivé vinarii genus fuisse credidero, illorum instar, quae hodierno etiam Hispanorum sermone *Orzas* dicuntur.

IX. *Fratri* | Et istud saepé numeró vocabulum in Monachis Athanasius (*in Vita Antonii*), Palladius (*in Historia Lausiaca*), Theodoretus (*in Religiosa*), Basilius (*in de*

Ins-

Instit. Monach.), Cassianus, Severus Sulpitius, alii posuere. Vellem, id animadverterent, qui tam sanctum, tam venerabile nomen, & quantumcumque est animorum coniunctionem spirans, plautino sale perfricare, cachinno excipere, succo nigrae loliginis madentibus chartis ludos facere audent, homines scelestissimi, sed quorum utinam tantum non esset,

Quantum muscarum est, cum caletur maximè!

X. *Trans Basilicam*] Consultó Selvagius (*Lib. II. cap. I.* §. 2. *nota* 11.) eorum sententiae repugnat „ qui eas Ecclesias *Ba-* „ *silicarum* nomen indeptas putant, quae „ magnificentia, magnitudineque ceteras an- „ tecellerent, quoniam Ambrosius (*Epist.* „ *XXXIII.*) *extramuraneae Basilicae* me- „ minit, quarum structura plerumque non „ immanis, & elegans, & Hieronymus (*Epist.* „ *III. ad Heliodorum*) *Basilicas Ecclesiae* „ appellat, quae olim *Oratoria*, postremis „ temporibus *Cappellae* dictae sunt ipsi Ec- „ clesiae adhaerentes." Adde Paulinum, qui Fundanam Ecclesiam & *Basilicam*, & *Basiliculam* (*cit. Epist. XXXII.*) vocat. Confer. & Anonymus eiusdem Paulini Vitae Scriptor Parisiensi Edit. laudatae subiectae (*cap. XLIII.*). Tandem, bene sapienterque Isidorus (*Origin. Lib. XV. cap.* 4.) „ Basili-

„ cae

„ cae dictae ſunt quia ibi Regi omnium Deo „ cultus & ſacrificia offeruntur."

XI. *Utrum hoc Angelus , an ipse Stephanus, quod visum eſt fuerit , incertum eſt* | Non iſtud Stephano indignum , ex his quae priore in parte disputavimus conficies. Et qui *ignis consumens eſt* (*Deuter. IV. v.* 24.) qui *in dispertitis linguis tamquam ignis apparuit* (*Act. cap. II.*); *qui facit Angelos ſuos ſpiritus , & miniſtros ſuos flammam ignis* (*Ad Hebr. cap. I. v.* 7.) , ¿ quidni in globo huiusmodi igneo Angelum apparere voluerit? Vide tamen ut illorum veſtigia Severus premat, *qui altiora ſe ne quaerere , & fortiora ſe non ſcrutari*, religioni sibi ducebant, é quibus unum pro cunctis Auguſtinum (*Lib. de Cura pro mortuis gerenda*) loquentem induco. Sic ille (*cap. XI.*): *Quomodo fiant iſta nescio*, & (*cap. XVI.*) „ res haec altior eſt, „ quam ut a me poſſit attingi , : : : & ideo quid „ horum duorum sit : : : definire non audeo, „ mallem á ſcientibus iſta perquirere."

XII. *Gentili ſermone Albigiſtinum* | Romanorum in poteſtatem cum veniſſent Baleares, latina lingua fuiſſe loquutos Aldretio duce (*in Origine Linguae Hispanicae*) Dametus (*Lib. I. Tit. I.* §. 12.) rectè ſentit: ¿ Quid igitur *gentilis ſermo* ? Proprium Noſtratum vocabulum fuiſſe putâro , cuiusmodi

non tantum Provinciae, sed etiam Oppida bené multa sua habent. Serario (*cit. in loco*) Punicum illud verbum visum est ex eo „ quód „ urbes duae, quarum in tota Severiana his„ toria frequens mentio, à Poenis ut Seve„ rus scribit, excitatae sunt, & quia ex He„ braea fluxit lingua Punica ::: „ Oritur idem „ nomen (subdit) ab hebraeo *Gabis*, & *El-„ gabis*," quod *in Job. XXVIII.*, *Ezech. capp. XIII. v.* 13., & *XXXVIII. v.* 22. Calmetius tamen in Jobi locum indicatum consulendus.

XIII. *Ab Aegypto perfidiae suae* |; Quanti qualesque viri huiusmodi allegoria delectati! Sed quoniam illos qui laudant multorum manibus teruntur Tertullianum (*Lib. de Baptismo*), Chrysostomum (*Homil. in illud Apost. Nolo vos ignorare* cet.), Sermonis *de Cataclysmo* (*inter Augustinianos*) Parentem, praetermissos tantum nolumus, & ut alia, quae è Liturgicis monumentis erui possent, praeteream, iuvabit meminisse *in Ordine Romano* à Ven. Thomasio vulgato, Sabbato Sancto *Processionem* ad Lateranense Baptisterium indictam, è quo vix dum sacris aquis abluti pedem extulerant, Psalmus *In exitu Israel de Aegypto* canebatur. Causam quam ex Severianis hisce facilé quisque intelliget, Grancolasius (*in Comment. de Breviario Romano*

Vers.

Vers. Latinae pag. 17.) ſubiicit.

XIV. *Comparabant* | Quibuscum Lorinum iudicium coniunxiſſe ſuum dicebamus. Addo Bivarium iſthaec accuraté persequutum,

XV. *Verum etiam Israelis nomen meruit* | Nam & per Basilium (*in I. Isaiae caput*), Nazianzenum (*Orat. II. de Theologia*), Chryſoſtomum (*Homil. in Genes. LVIII.*), Auguſtinum (*de Civit. Dei Lib. XVI. cap.* 29.), Paulinum (*Epiſt. V.*), Salvianum (*de Gubernat. Dei Lib. II. cap.* 2.), tantumdem *Israel*, ac *Deum videns*. Neque ab his abludit vetus illa, & magnificentiſſima quidem Oratio ab *Apoſtolicarum Conſtitutionum* Autore (*Lib. VII. cap.* 15. descripta) „ Deus „ omnipotens : : : Deus Israelis veré videntis, „ in Chriſtum credentis populi tui " cet. Conf. & Eruditiſſimus Fronto Duceus *in Paulini Epiſt. mox laudatam.*

XVI. *Sicut lectione Exodi atteſtatur* | Si lubet, iuniorum Interpretum fors principem Calmetum, ad ſacri huius libri *capita XIII.*, *& XVI.*, & quae poſt mediae aetatis Liturgicos de Cereo Paschali diſſerentes, Josephus Cathalanius (*in Coeremonialis Episcop. Lib. II. cap.* 37. §. *I.*) in unum contulit, conferto. Addito Baptismum à Maioribus *Illuminationem* saepiſſimé vocari qua de re nonnulla Selvagius (*Lib. III. cap. I.* §. *I*

num.

num. 3.), & eius causam à Nazianzeno (*Orat. XL.*) reddi , *quia splendor est, & claritas.*

XVII. *Parvulo* ::: *orbe*] Et apud Hieronymum (*in Epist. ad Ephesios cap. II.*), è Clementis Romani *Epistola* hic locus est: *Occeanus , & mundi qui trans ipsum sunt.*

*A*D *NUM. XVI.*

I. *A coniugio viri religione discederet*] Assiduas , mirasque super divortiorum causis á Judaeis Doctoribus lites actas , eosdemque in coniugiorum iuribus ad lubidinem solvendis, nullo non tempore paratissimos fuisse , qui dubitet , quem modo laudavi Calmetum (*Dissertat. de Divortiis Commentario in Deuter. praefixa*) adeat. Quemadmodum vero, cum per Coesareas leges , cum Ecclesiasticas Synodorum Illiberitanae (*cap.* 19.), Calcedonensis (*can.* 14.), Arelatensis (*can.* 11.) alias christiano homini Judaeam uxorem ducere , Christianamve Judaeo in matrimonium collocari nefas erat ; Theodori uxor , viro ad christiana sacra traducto , causam maximé iustam oblatam sibi credidisset , eius conditione amplius non utendi , ea potissimum aetate , qua froenum adeo solverat licentia, ut , repagulis omnibus perfractis , etiam sine causa divortia fierent.

II.

II. *Omnis ad Ecclesiam Synagoga confluxit*] Errat proinde Garavius, qui Palmenses Judaeos Christo nomen dedisse anno MCCCCXXXV. narrans, videri esse, ait, cur Baleari Maiori gratulari debeamus, quód hispanas ante alias Urbes Hebraeos quotquot sinu complectabatur suo Servatoris iugo suavissimo colla subdere viderit.

III. *Sine ullo certamine crediderunt*] Vix aliud maioribus nostris spectaculum, qui *dives est in misericordia* Deus, ac Nicaenae Synodi Antistitibus exhibuit, cum Spiridionis Thremituntini Praesulis opera, Philosophus, Idolorum cultui, cui tamquam ad saxum adhaerescebat, nuntium missit. Accuratissimé huius rei historiam plerique ad posteros transmissere, Sozomenus praesertim (*Lib. I. cap.* 18.). Lorino autem bene sit, cui & eloquentissimus Segnerius adstipulatus est (*in Panegyr. de S. Steph. Oratione*) quod é Severianis hisce „ notandum iudicarit, & quidem „ vehementer, ut Martyrum Antistitem pe„ culiarem obstinatae mentis hominum, apud „ Deum patronum, & ut ita dicam domito„ rem esse agnoscamus, quemadmodum valet „ Sanctorum aliquis ad impetrandam huius „ morbi levationem, alius ad alterius."

IV. *Credere se in Christo, & Christianos fieri profitebantur*] Baptismi candidatos, & fi-

fidem profiteri, & salutari unda se ablui velle, ex vetere more profectum. Illud & PP. bene multi declarant, é quibus Ambrosium (*Lib. II. de Spir. S. cap. X.*), Augustinum (*Lib. de fide, & operibus cap. 9.*, & *Confess. Lib. VIII. cap 2.*), Optatum (*Lib. V.*), Leonem Magnum (*Serm. IV. in Nativit. Domini*) praeterire nolo, & cum é Calixti, Stephani I. Romanorum Pontificum, Genesii, Savinique *Actis*, tum ex *Ordinibus* Romano, Gelasiano, Gregoriano, Missali Gallicano á Liturgicorum decore Thomasio publici facto iuris, Libris praeterea *Pontificalibus* à Marteneo (*Artic. XIII. cap. I.*) descriptis manifestissimum est. Istud toto ferè Cathecumenatus é stadio planè liquet. Cl. ipse Marteneus *Artic. VI. num. 2.* conferendus.

V. *Centum* : : : *& duos perfidiae suae habens annos*] Breviter iuxta, ac pié Dametus, senis huiusce ad Servatoris Ecclesiam migrationem, *divinae Praedestinationis effectum* esse animadvertit. Vel unum mihi, é multis, quae animo obversantur insignem senis alius locum sistere fas esto: „ De istis operibus (aiebat Cheremon apud Cassianum *Collat. XII.*), „ Beatus David : : : *Benedictus* inquit (*Psalm.* „ *LXXVI.*) *Deus Israel, qui facit mirabi-* „ *lia magna solus.* De istis, & Amos Prophe- „ ta (*cap. V. v. 8.*) *Qui facit omnia, & con-*

„ *vertit*

„ *vertit ea, & transmutat in matutinum um-*
„ *bram mortis.*"

VI. *Spe futurae vitae* | Dei digito cum Hebraeis, cum Chriſtianis monſtratae, á PP., quorum ingentem populum Theologi plerique tam gravi nomine digni producunt, tertio quoquo verbo aſſertae, cuius & *in Martyrum Actis* creberrima mentio, in *Liturgicis Codicibus* fortassé crebior, in mutis, ſed eloquentiſſimis Saxis haud infrequens (*Conf. Zacharia extr. cap.*), in fidei formulis, Apoſtolica, Nicaena, CPolitana, Athanasio adiudicari ſolita, ad credendum propositae. Haud contemnendam argumentorum copiam, & maximam profectó ex iisdem Sedibus, pro *futuri ſeculi*, qua de ſupra Severus, *morte* depromeres.

VII. *Ad spiritualem reverteretur infantiam* | Quod *Magiſter in Israel* (*Joan. cap. III. v.* 9.) animo, & cogitatione aſſequi non poterat, & Jesus Chriſtus luculentiſſimé exposuit, & Petrus (*I. Epiſtolae cap. II. v.* 2.), cuius verba Ecclesia, *Dominica*, ſuperiore memoria *Nova*, noſtra in *Albis* dicta (*Conf. Selvagius Lib. II. P. II. Cap. V.* §. 4. *num.* 23.) ſua facit, perſequutus eſt, & Tertullianus (*Lib. I. adv. Marcionem cap.* 14., & *in de Cor. Militis*), Clemens Alexandrinus (*Lib. I. Paedag. cap.* 6.), alii locuple-

pletiſſimè elucidant, & vetus ille ritus *ut lavacro egreſſi lactis, ac mellis concordiam praeguſtarent*, Sec. adhuc IX. vigens, ſatis indicat. Accedant Liturgica illa è Miſſali Mozarabico (*Orat. poſt Bened. Fontis*) „Te de„precamur Domine Sancte::: ut hanc aquam „benedicas ad gratiam, & perfusi famuli tui „nova reſtituantur infantia," & è Sacramentario Gregoriano (*in Benedictione Fontis*) „ab immaculato divini fontis utero, in no„vam renata creaturam progenies coeleſtis „emergat, & quos aut ſexus in corpore, aut „aetas discernit in tempore, omnes in unam „pariat gratia mater infantiam."

VIII. *Ut per Baptismum regenerarentur* | Cum Apoſtolus ad Titum (*Cap. III. v. 5.*) ſcribens: *Lavacrum regenerationis* memorârit, eamdem ac Severus rem in eumdem modum extulere Innocentius I. (*Epiſtolis ad Milevitanae, & Carthaginensis Synodorum Episcopos, int. Auguſt. CLXXXI., & CLXXXII.*), Coeleſtinus (*Epiſt. ad Episcopos Galliae*), Illiberitani Patres (*Can. II.*), Gregorius Nissenus, qui nuper baptismo ablutum (*Orat. in Baptism.*) *regenerationis puerum* appellavit, Chrysoſtomus (*Homil. XXV. in Joan.*), Ambrosius (*de his qui initiantur Lib. I. cap. 2.*), Hieronymus (*in Cap. LV. Isaiae*), Auguſtinus ſaepiſſimè, Liturgicorum Parentes

tes librorum creberrimè. Viris ſummis Ambroſio (*Lib. III. de Sacrament. cap. 7.*), Gelasio, & Gregorio (*in ipsorum Sacramentariis*) probatam *Orationem*, quam hodiediedum fundimus indico : *Deus Omnipotens* : : *qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto* cet. Et Joannei Evangelii initii recitandi, qui in desuetudinem abiit ritum ut recens baptizati intelligerent, ſe in Chriſti nomine credentes „ non ex ſanguinibus, neque ex vo„ luntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed „ ex Deo " natos eſſe.

AD NUM. XVII.

I. *Qui nuper hanc Provinciam rexit* | Baleares, è quibus ſeptimam Hispaniae Provinciam conſtitutam *Notitia Imperii* Theodosio Magno Caes. edita, & Anonymus *Libellus Provinciarum Romanarum* à Laurentio Theodoro Gronovio (huius inter Opuscula pag. 29.) vulgatus fidem faciunt. Haec è *Notitiae* Sect. 47. siſtimus. „ Sub dispositione Vicarii „ Hispaniarum Consulares = Baeticae, Lusi„ taniae, Galleciae = Praesides = Tarraconen„ sis, Carthaginensis, Tingitaniae, Insularum Balearium." Anonymi iſthaec ſunt : „ In „ Hispania Provinciae numero ſeptem Tarra„ conensis, Kartaginensis, Baetica, Lusita-

„ nia , in qua Emerita , Insulae Baleares"
cet. Vix alia apud Scheelstratium , Gravesonium , Pagium , Florezium legas. Conferendi & eruditissimi Duumviri , qui aureum illud Joan. Marianae opus : *Historia General de España* Valentiae nitidissimis Benedicti Monfortii Typis edunt in Animadvers. ad Tom. II. pagg. 458. & 463.

II. *Et nunc Comes esse dicitur*] Multa de Comitibus Gothofredus (*in Cod. Theodos.*), Pancirolus (*in Notitia Dignitatum*), sed nemo , me iudice , nitidius accuratiusque Josepho Averanio Pisano Antecessore , qui (*Observat. Juris Tom I. Lib. III. c. I.*) Comites ad quatuor classes commodé refert, uniuscuiusque classis varios ordines fuisse animadvertens. Lectorium ad illum pertinuisse Ordinem putâro , in quo *Vacantes* dictos idem ipse Averanius locat , eos nimirum , qui pro Provinciae bené administratae proemio , Comitis dignitate ornabantur , de quibus *l. postr. Cod. de Comit. Vacant.* Non enim , contra quam Dametus existimat , cum Baleares gubernaret Lectorius , Comes iam erat , sed cum *hanc provinciam rexisset,* Comitis titulo auctus dicitur. Quin & illud adiiciam cum penes eumdem Provinciae cura esset Comitem non egisse facili negotio persuaderi posse , propterea quód cum tres Hispania-

paniarum dumtaxat Comites ex laudatae Imperii Notitiae Sect. LI. habeamus, primum ſcilicet, cui Cordubae, alterum cui in Tingitania ſedes eſſet, tertium Limitaneum appellatum, Balearium Praesidi nullum iſtos inter Comites locum relictum videam.

III. *Sicut utres veteres* | E Servatoris Oraculo (*Marci II. v.* 22.), quod & Tertullianus (*Lib. de Orat. c. I.*), & Gregorius Nissenus, & Chrysologus (*Serm. XXXI.*), & Beda Venerabilis (*in eumd. Marci locum*) similem ad allegoriam divertére.

IV. *Muſtum novi Teſtamenti* | Videsis Blancum in Psalm. CVIII. v. 16., & Lorinum *in Act. cap. II. v.* 13. quem quidem versiculum Arator ita reddidit:

: : : : : „ nova vasa licorem
suscepere novum."

V. *Mara lacum* : : : *obdulcescere persensit* | Quamquam nobiliſſimorum Interpretum populo, Marae aquam naturali virtute in dulcedinem versam libentiſſimé demus, lignum, quo *indulcata eſt* (*Eccles. XXXVIII. v.* 5.) praeclarum Crucis symbolum praetuliſſe, cum Tertulliano (*Libro contra Judaeos cap.* 13.), Hieronymo (*Epiſt. ad Fabiolam de XLII. Mans.*), Auguſtino (*Quaeſt. LVII. in Exod.*), Paulino (*Epiſt. XXXVII.*) aliis tenemus.

VI. *Mirifico verèque coeleſti* : : : *odore* | Qua-

Qualem nimirum ex Beatorum exuviis ſaepe numero manare vir doctus, doctiorumque iudicio celebris Signius (*in de Reliquiis Cap. III.*) ait : „ peregrinum prae coeteris, eximium, alios odores, quibus homines uti „ ſolent, longé ſuperantem," cuius multa Lambertinium exempla conglobaſſe in Exercitatione (*pauló ante clausulam*) diximus. Fortunatus autem Pictaviensis Antiſtes de Sanctorum Reliquiis universè (*Lib. VI. Opusc. ad Jovin.*) sic cecinit:

„ Suavis iustorum flagrat odor tumulo,
„ Gratius aura fluens quam spiret amoma Sabaeum,
„ Thuraque devincens balsama sylva reflat
„ Cinnama, caltha, crocus, violae, rosa, lilia cedunt,
„ Ut similis nullus nare bibatur odor." cet.

VII. *Praesentiam Spiritus Sancti*] Haud inepté clari nominis Theologus Thomas Bozius (*de Signis Eccles. Lib. XV. Signo* 64. *cap.* 8.) huiusmodi odorem „ insigne divini„ tatis (SS. pignoribus) inditae argumen„ tum" dixit. „ Neque enim corpora ſolum" (ut more ſuo, id eſt praeclaré Hom. de S. Ignat. aiebat Chrysoſtomus) „ ſed etiam con„ ditoria ipsa Sanctorum ſpiritali gratia ſunt „ referta. Etenim si Elisèi tempore quoddam „ accidit eiusmodi, & ſepulchrum mortuus at„ tingens mortis vincula dirupit : : : multó nunc „ magis cum abundantior eſt gratia, cum Spi-

„ ri-

„ ritus operatio copiosior est, licet conditorium „ ipsorum cum fide tangentem magnam inde „ virtutem attrahere." Videnda & Paulini *in S. Felicem* Carmina var. in locis Procli Oratio V. Theodoreti *contra Graecos* VIII. Sermo, alia.

VIII. *Paucissimi senseramus*] Haud insolens ut quae á plerisque, sensibus, Deo volente, percepta fuissent, á paucis perciperentur. Adisis Lambertinium (*Lib. IV. de Serv. Dei Beatificat. P. I. cap.* 32. *num.* 14.) Confers etiam Paulinum (ad calcem *Vitae Ambrosii*), Gregorium Turonensem (*in de Gloria Martyrum cap. I.*), & Clementis VIII. *in Canonizat.* S. Raymundi Pennafortii *Bulla* verba habeto „ Ex aperto eius sepulchri „ meatu suavis odor quandoque afflatur, qui „ ab iis sentitur quos divina bonitas eo mu„ nere dignatur," quae ad Severiana superius descripta (*n.* scilicet 15.) *columna candidissimi luminis, illorum, quos dignos Dominus iudicavit, se ingessit aspectibus* transferto.

IX. *Fidei ianua*] Haec Lucae (*Act. cap. XIV. v.* 26.) de Paulo & Barnaba verba facientis sunt „ Retulerunt : : : quia aperuis„ set (Deus) gentibus ostium fidei." Et facillimo opere multa é Re Liturgica heic sistere possemus. Pervagata illa Florentinorum PP. (*in Drecreto unionis*) sententia est : *Baptismus*

mus

mus : : : *spiritualis vitae ianua.*

X. *Pluviam voluntariam segregabit haereditati suae Dominus* | Et Vatic. Severi exemplum, quemadmodum Ambrosius, Augustinus, Mediolanense, & Romanum Psalterium *segregans* refert. Calmetus, & Sabbaterius conferendi. Haud tamen infeliciter Davidicum, quo de sermo, oraculum ad rem Antistes Nostras accomodavit suam, sivé *pluviam voluntariam* cum Theodoreto *spontaneam*, sivé cum Chaldaeo Interprete *vivificationis*, sivé cum aliis *opportunam* intelligamus. Verum de his divini Interpretes plura.

XI. *In odorem unguentorum Christi* | Istam etiam ad Sponsarum omnium beatissimae votum é (*Cantic. cap. I. v. 3.*) allusionem, queis, neque raró, neque dissimili stylo ea probata, Basilius (*in cap. III. Isaiae*), Augustinus (*Lib. IX. Confess. cap. VII.*), Procopius (*in XXX. Cap. Exodi*), Bernardus quam saepissimé, adamarunt.

AD NUM. XVIII.

I. *Verbum salutis* | Ecclesiastico é cimelio, quo pacto Zacharias (*Lucae cap. I. vers. 77.*) *scientiam salutis.* Paulus (*Act.* XIII. *v.* 26.) *verbum salutis*, (*ad Ephesios cap. VI. v. 17.*) *galeam salutis*; *sacramentum salu-*

tis

tis Salvianus (*de Gubernat. Dei Lib. VI. cap.* 7.), *Sacramenta ſalutis* Caſſianus (*Lib. VI. de Incarnatione Domini*); Poſſidius (*in Vita Auguſtini cap. IX.*) *verbum ſalutis*, & id genus alia alii.

II. *Omnem reſpuens medicinam* | Eadem de perditiſſimo Neſtorio (celebri *in Epiſt. ad Theodosium*) Coeleſtinus.

III. *Insanabili incredulitatis vulnere* | Ecclesiaſtici ex ore (*cap. XXI. v.* 4.) ſunt iſthaec: *Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, plagae illius non eſt ſanitas.* Similia in PP. ſaepé numeró reperies, quae conglobare maioris eſſet operae, quam pretii.

IV. *Orationum praeliis adversus Amalech hoſtem Jesu* | Adſtipulatores habet Gregorium Nazianzenum (*Orat. I. al. III. in Julianum*), Tertullianum (*adversus Marcionem Lib. III. cap.* 18.), Hieronymum (*Lib. II. contra Jovinianum*), Uzalensis Anonymi (*Lib. II. cap.* 3.) haec habeto: *ad evincendas caecitatis tenebras* (Hilara oculis capta) *quasi adversus Amalech hoſtem Jesu continuata oratione pugnabat.*

V. *Ducis noſtri* | Tantumdem Isaias, Michaeas, Daniel. Consulendi & Origenes (*Homil. II. in Capp. XVII.*, & *XVIII.* Numerorum), Eusebius (*Demonſtrationis Evangelicae Lib. VII. cap.* 2.), & ut alios prae-

te-

teream, Theodoretus (*Quaest. XLIII. in Deuteron.*).

VI. *Exercitus* | Vulgatissima illa é *Canticorum cap. VI. v. 3. Terribilis ut castrorum acies ordinata*, & é *cap. VII. v. 1. ¿Quid videbis in Sulamite nisi coros castrorum?* Vulgatissima é PP. eamdem in rem infinita.

VII. *Orationem cunctis indiximus* | Alta dubio procul mente Pontifici Nostrati infixum, quanta publicis, sic loqui iuvat, orationibus vis inesset, quam Matthaei Evangelio (*XVIII. v. 19., & 20.*), Apostolicis Actis (*XII.*), Ignatio (*Epist. ad Ephes. num. 5.*), Justino (*in Apol. I.*), Tertulliano (*Apologet. cap. XXXIX.*), Arnobio (*contra Gentes Lib. I.*), Chrysostomo (*Homil. II. de Prophetiarum obscuritate*), & ne te morer, quotidianis experimentis perspicué demonstrantibus, unus ille in dubitationem vocaret, cui mero meridie caligare placeret. Illud adiicio, precum huiusmodi imperandarum ius, Ecclesiarum penes Moderatores perpetuó constitisse, qui omnium instar esse posset Benedictum XIV. cum illud sartum tectum servandum ediceret *Constit. LXXXII.* (quae in eius Bullar. Tom. I. Edit. Venet. an. 1778. pag. 119. extat), cuius initium: *Quemadmodum preces* evincere.

VIII. *Solo strati* | Quam veré á Hierony-

nymo (*in Isaiae cap. XLVI.*) dictum fuerit : *Ecclesiastici moris est genua flectere*, ne longé plures à Pougetio (*P. III. Sect. II. cap. I. v.* 4.) exscriptos commemorem, Arnobius (*Lib. VI.*), Basilius (*Lib. de Spir. Sancto cap.* 27.), Coesarius (*Hom. XXXIV.*) testantur. Alius tamen in precibus, quibus vehementior animi contentio, ut facilius exorari se Deus sineret, exprimebatur, ritus quandoque obtinebat, quem Nostrates forsan usurpasse Severus indicat. Has nimirum qui fundebant, toto pronos corpore, coeleste auxilium implorasse Alexandri Alexandrini Praesulis, & Theodosii (apud Ruffinum *Hist. Eccles. Lib. X. cap.* 12. *& Lib. postr. cap.* 33.), Theodorici apud Salvianum (*Lib. VII. de Gubern. Dei cap.* 14.), Rustici, cui par boum abactum, quo de multis Paulinus (*Poem. XVII. sive Nat. VI. in S. Felicem*), Marcelli Apameensis Antistitis, Theodoreto (*Lib. V. cap.* 21. *laud.*) autore, aliorum exempla fidem faciunt indubiam.

IX. *Diu flevimus* | Et precibus ferventioribus socias saepé numeró fuisse lacrymas ostenderent luculentissimé Tobias, qui (*cap. III.*) *Dominum coepit orare cum lacrymis* : : : *praecipe in pace recipi spiritum meum*, Juditha, quae (*cap. XIII. v.* 6.) *stetit ante Holofernis lectum, orans cum lacrymis*, Esdras, qui

audiens Hebraeos, Idololatras uxores duxisse, *oravit*, & *flevit*, ut ipse (*Lib. I. cap. X. v.* 1.) testis est, Megetiae Mater, qua de multa Anonymus Uzalensis (*Lib. II. cap.* 2.), Augustinus, quem plus vice simplici inter orandum lacrymas fudisse Possidius (*cap.* 29.) narrat, Romani cives ad Laurentii, Prudentius ad Cassiani tumulum, ut ipse litteris prodidit (*in de Coronis Hymn.* 2., & 9.), & ut alios taceam, cum â Ven. Bellarminio in aureo Opusculo *de Gemitu Columbae*, tum á Lambertinio (*de Serv. Dei Beatificat. Lib. III. cap.* 26. *num.* 10.) laudatos, Julianus Conchensis Pontifex.

X. *Amen acclamasset* | En ut vocula *Amen orationem obsignari*, praeclarè Cyrillus (*Cathec. Mystagog. V.*) dixerit, illa nimirum vocula, qua non solum Ecclesiae, ut quondam Synagogae solemnes preces absolutas, Bona Card. (*Rer. Liturg. Lib. II. cap. V.*) locupletissimè monstrat; verum etiam pro natare fusas Polycarpi, apud Eusebium (*Hist. Lib. IV. cap.* 15.), Pionii, Julittae, Apollonii Diaconi, Abbatis Or, Felicis Tubyzacensis Praesulis, Chrysostomi, Placidi, Sociorumque exempla persuadent. Illorum Acta videnda.

XI. *A Diaboli laqueis* | E PP. bené multi praesto essent, queis Severiana haec affatim

sa-

ſaperent. Multus in illis deſcribendis eſt Lorinus (*in Psalm. XC. v. 3.*). Multa de iisdem (*in vers. eumd.*) Thomas Le Blanc dabit. Multa & é Liturgica Re in eamdem erui poſſent, atque ita multa, ut vel ex *Ordinibus Baptismi* innumera ferè conglobares.

XII. *Eruta*) Baptismo igitur é doemonis poteſtate eripimur, sive, quoniam Scholae proprias voces ſubmovere non audemus, *Baptismi effectus eſt remiſſio peccatorum*, quemadmodum é divino Novi Foederis Inſtrumento, Synodorum, Summorumque Pontificum decretis, Patrum etiam ſententiis, quos inter Auguſtino (*de Baptism. Lib. V. cap.* 21.) *Sacramentum remiſſionis peccatorum* Baptismus simpliciter dictus, Gregorio Niſſeno (*laud. Orat.*) *ablutio peccatorum*, *remiſſio delictorum*, Theologi doctiſſimi conficiunt, é Liturgicis Ordinibus tam clarum eſt, quam cum ſudum eſt, Solis radii, ¿ Quei plura? Haeterodoxis contra ſentientibus confutandis, vel ſaxa ipsa sufficerent, e. g. Maffeianum *Iſoedulae Epitaphium in Antiq. Gallic. Epiſt. XX.* legendum, cuius alterum diſticum profero:

„ Martini quondam proceris ſub dextera tinta,
„ Crimina deposuit fonte renata Dei.

Gruteriana Inscriptio ad S. Anaſtasiae fontes Praef. Urbis Longimani cura, & munificentia egregié ornatos insculpta, & à Zacharia recitata :

„ Qui

„ Qui peccatorum sordes abolere priorum,
„ Terrenisque optas maculas absolvere vitam,
„ Huc ades ad Christi fontem, sacrumque licorem,
„ Corpus ubi, ac mentes pariter, sensusque lavantur.

Sixti III. Romani Praesulis ad Constantinianum Baptisterium elegantissimum Epigramma:

„ Mergere peccator sacro purgande fluento,
„ Quem veterem accipiet proferet unda novum.
„ Insons esse volens isto mundare lavacro,
„ Seu patrio premeris crimine, seu proprio."

Ex eleganti quoque Prudentii Hymno *de loco, quo Martyres (Emeterius , & Chelidonius) passi erant, nunc Baptisterium est Calagurri*, quem & eruditissimus Riscus *in Hispaniae Sacrae Tomum XXXIII. Tract. LXIX. cap.* 19. *num.* 31., & in eiusdem *Tomi Append. I.* transtulit , digna sunt, quae in rem nostram isthaec describantur :

„ Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte ,
„ Ac veteres maculas diluit amne novo.
„ Spiritus aetherio solitus descendere lapsu
„ Ut dederat palmam , sic tribuit veniam."

AD NUM. XIX.

I. *Populo suo*] Quanto ego otio diffluerem , si Catholicam societatem hoc nomine designari multis monstrare aggrederer. Xisti III. Summi Antistitis iussu Musivum Opus, cuius ex

ex Ciampino imaginem Generius (*in Monum. Antiquit. Clas. IV. n.* 2.) describit, apud Basilicam Liberianam in summo arcus mediae Navis fastigio positum fuisse, cuius haec est Inscriptio : XISTUS EPISCOPUS PLEBI DEI., similesque Felicis III. (aliis IV.), Hilari, Leonis Romanorum quoque Pontificum Epigraphes à Viris eruditissimis allatas, Generium ipsum haud praetèrmisisse, tantum dicam.

II. *Suscepi plané ovem, quam : : : errasse putabamus* | Venustissima allegoria Sacris Vatibus Davidi (*Psalm. CXVIII. vers.* 176.), Isaiae (*cap. LIII. v.* 6.) usurpata, Servatori (*Matth. XVIII.*, *&* *Lucae XV.*), carissima, Tertulliano (*de Poenit. cap. VIII.*), Cypriano (*Epist. LII. al.* 55.), Hilario (*cap. XVIII. in Matth.*), Paciano (*Epist. I. ad Sympron.*), Augustino (*Serm. XXXII. in Psalm. CXVIII.*), Hieronymo (*Epist. ad Damasum de Filio Prod.*), Chrysologo (*Serm. CLXVIII.*) iocunda, Asceticis in deliciis. Et ut Liturgica multa praeteream, *in Graecorum Euchologio* laudato isthaec legas: „ Do-„ mine Jesu : : : qui ad ovile ovem errantem „ reducis. "

III. *Cum gemino foetu* | Itaque *Parvulos* Baptismo mundari fas est, quod nulla non aetate ab optimis usque temporibus in more positum é Siricio (*Epist. ad Himerium*), Zosimo,

simo, apud Augustinum (*Epist. CXC.*), Romanis aliis Antistitibus, è PP. plerisque, non dicam à Bellarminio, Natali Alexandro, Pougetio, Tournellio, sed ab haeterodoxis ipsis hominibus Binghamo (*Orig. Ecclesiasticarum Lib. IX.*), & Walchio (*in Historia Pedo-Baptismi*) productis, ex Liturgicis monumentis à Marteneo (*cap. I. artic. XVIII.*) ex Historicis à Chardonio (*in Historia Baptismi*), ex quantivis pretii lapidibus *Flaviae Infantis dulcissimae, quae vixit anno uno, & Mens. III., Florentini* ::: *qui vixit annum, & Menses novem, dies quinque* à Generio (*Clas. I. num.* 10. *&* 11.), aliisque à Zacharia (*cap. XI.*) laudatis, tam dilucidum est, ut nihil magis.

IV. *Revocavi* | Tertulliani (*Lib. de Bapt. cap. XVII.*) totidem voces fuerant: *Dandi* (Baptismi) *ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus*, quod & é Divina institutione profectum (*Matth. cap. extr. v.* 19. conf.), & Apostolorum exemplis, Apostolicorum sententiis Virorum, Synodorum Decretis, Veteribus Ordinibus, à iunioribus Theologis, & à Marteneo conglobatis ratum, Baptisteria in Cathedralibus, vel eas propé extructa confirmant, Egregium antiquitatis Monumentum, quod Generius (*Clas. XIII. num. VII.*) sistit, sat superque monstrabit, in quo nimirum &

Co-

Colobio propria Episcoporum veste, & *nimbo*, Episcoporum insigni, qui lustralibus undis *Innocentium* immergit insculptus exhibetur.

AD NUM. XX.

I. *Ante initium Quadragesimae*] Et verbum in Ecclesia natum, & rem verbo signatam non ab heri & nudius tertius invectam, Athanasius (*in Encyclica*), Theophilus (*Epist. II. Paschali*), Chrysostomus multis in Homiliis, illis praesertim quas in IV. Tom. Editionis Montfauconianae legas, Ambrosius (*Lib. III. de Virgin. & Lib. de Elia, & Jeiunio*), Hieronymus quam saepissimé, Augustinus (*Epist. ad Januarium LV. al.* 119.), Cassianus (*Collat. XXI., & XXIV.*), & ne plures memorem á Pougetio, aliisque exscriptos, & á Selvagio indicatos, Leo (*Serm. XXXVIII. & seqq.* ad usque *L.* Edit. Cacciarii) evincerent.

II. *Paschae celebrata est festivitas*] Vel quód Sacrum ante illius pervigilium, alterum scilicet é diebus solemni Baptismo statis, Magonenses Hebraei in Servatoris familiam commigrassent, vel si alia Vatic. Palat. Codicis lectio *quasi Paschae* placet magis (placere autem sine me rivali poterit), tanta Ecclesia nostra voluptate delibuta fuerit, quanta *Dominica*

minica illa *antonomasticós Dominica gaudii* quondam dicta ob triumphatam à Jesu Christo mortem exhilarari solita erat. Jam vero & *festivitatis* encomium uni omnium Paschae diei maximé quadrare à Synodis, quas Marteneus (*in de antiqua Eccles. Discipl. in divinis celebrandis Officiis cap. XXV.*) laudat, & á Basilio, Gregorio Nazianzeno (*Orat. XIX. & XLII.*), Gregorio Magno (*Hom. XXI.*) Patribus aliis docemur. Conf. & Montfauconius (*Praef. in IV. Chrysost. Oper. Tomi* §. *VI.*), & Blancus (*in Psalm. CXVII. vers.* 23.).

III. *Ad Ecclesiam constat adiectas* | Similis planè locus in *Apost. Actis cap. V.*: *Apposita est multa turba Domino.* Similes cum in Divinis Litteris, cum in Patribus alii. E Liturgica penu isthaec eruimus: E Constitutionibus Apostolis adiudicari solitis (*In Orationis Indictione pro Cathecumenis Lib. VIII. cap.* 6.) „ Pro Cathecumenis. Omnes Deum „ invocemus ut benignus exaudiat eorum ob„ secrationes : : : adiuvet, atque adnumeret „ eos sancto suo gregi, donatis iis lavacro „ regenerationis," E Sacramentario Gallicano à Mabillonio vulgato (*Tom. I. Musaei Italici*) *Oratione post Baptismum*: „ Laudes „ & gratias Domino referamus, fratres di„ lectissimi, quód augere dignatus est, Ec-

„ cle-

„ clesiae ſuae congregationem per caros nos-
„ tros, qui modó baptizati ſunt." E Graecorum Euchologio „ haereditatis tuae ovili „ illum aggrega." E Sacramentario Gregoriano, *Oratione ante benedictionem fontis*: „ ad creandos novos populos, quos tibi fons „ baptismatis parturit." cet.

IV. *Judaicae plebis terram::: recepto verbi ſemine* | Memoria parabolam volvit, quam *Matth. XIII. á v. 3., Marci IV. à v. 3., Lucae VIII. á v. 5.* non tantum proponere, verum etiam ediſſerere Chriſtus dignatus eſt, vel Metonymiam Paulo (*Epiſt. II. ad Corinth. cap. IX. v. 10.*), Eusebio Coesariensi, Chryſoſtomo, Aratori, Prospero, Eusebio Emiſſeno, Gregorio, aliis gratiſſimam.

V. *Fructum iuſtitiae* | Ex Apoſtoli *cap. I. v. 11. Epiſt. ad Philippenses* gaza. Plura huiusdem loci Enarratores dabunt.

VI. *Impendia conferunt* | Vix dum à Conſtantino Rei Chriſtianae pace parta, luculentiſſima in Sacris Aedibus aedificandis maiores noſtros nullo non tempore impensé documenta dediſſe, tametsi cum probatae fidei Historici, cum Ecclesiae columina, Heliopoli in Phoenicia, Tyri ad Mambre, Bethleemi, CPoli, in montibus Oliveti, & Calvariae, Anthiochiae, Romae, Capuae, Nolae, alibi gentium excitatas, ſplendidiſſimisque mu-

neribus locupletatas differté non commemorassent, graphicé descripsissent, summis laudibus extulissent; vel Templa ipsa oculis hodiedum fidelibus subiecta, & Inscriptiones à Zacharia (*postremo capite*) allatae, paucae, licet, sed quae satis sint, fateri nos cogerent.

VII. *Etiam humeris saxa comportant* | Quód similem prorsus operam pleriqne impenderint, digni profectô sunt ut nulla umquam aetas de illorum laudibus conticescat.

AD NUM. XXI.

I. *Post Consulatum Domini Honorii undecimum* | Anno scilicet, ut saepe diximus, Chr. CCCCXVIII., nam, ceu apud Scheelstratium (*Antiq. Illust.* Tom. II.) Pagium utrumque, Seniorem (*in Critica Baronian. Annal.*), & Juniorem (*in Breviar. Histor. Summ. Pontif. ubi de Zosimo*), Gravesonium (*VII. Tabula Chronologica*), & Chronologorum Antistitem Petavium (*Rationarii Temp. Tom. I.*) videre licet, superiore anno undecimum Honorius Consulatum, Constantius secundum gesserant; & hos idcircó Nostras memorat, quód iisdem, ut Nicolaus Antonius superius coniiciebat, subrogatos ignoraret, quemadmodum non alia, ni fallar, de causa binis Innocentii I. Epis-

Epiſtolis laudatis, altera *ad Aurelium, coeterosque Carthaginensis Synodi Antiſtites*, altera *ad Aurelium ipsum, & quatuor alios Episcopos*, (*CLXXXI.*, & *CLXXXIII. inter Auguſtinianas*), in Carthaginensis Collationis Actis, in Synodi Ephesinae Monumentis, in aliorum ad alios litteris proximi anni Coſſ. nomina praemiſſa, vel ſubiecta ſunt. Baronius (*Nota in Martyrologium Rom. citata*), Severianam Epiſtolam „ Coſſ. Asclepiodoto, & „ Martiniano, id eſt anno CCCCXXIII. ſcrip„ tam haberi " ait, quod non de omnibus eiusdem exemplis intelligendum puto, ſed illos aliud, alios aliud Coſſ. referre, ut taceam alio prorsus anno, quas Noſtras prodit res geri, alio litteris mandari potuiſſe.

II. *Conſtantio iterum victore*] Dignus certè erat Conſtantius, qui ob Conſtantium Galliae Tyrannum ſuperiore anno debellatum, cum non multó pridem de Attalo triumphum ſplendidiſſimum egiſſet, magnifico *Victoris* praeconio ornaretur.

III. *Peccatoris*] Ne operis, quod illius virtus eſt, primo medium, medio imum discreparet, virolentus ille Pelagii error, heic obiter impetitus, quem Prosper (Carm. *de Ingratis*) sic exprimit:

„ Poſſe hominem sine peccato decurrere vitam
„ Si velit, ut potuit nullo delinquere primus

„ Li-

„ Libertate suâ, " : : : : : : : : :
quem Prosper ipse (*eodem Carmine*, & *in Epigrammat.*), Hieronymo (*Dialogis adversus Pelagianos*, & *Epist. ad Ctesiphontem*), Orosio (*in Apologetico*), Mercatore (*in Commonitorio*), *Hypognosticon* Librorum parente, Augustino (*Lib. de merit. & rem. peccatorum*, & *de Natura, & Gratia*, *Epist. al. CVI.* nunc *CLXXXVI.*, & aliis locis) praeeuntibus, evertit, Ecclesiastica Decreta Innocentii I. Patribus Carthaginensis, & Milevitani Conciliorum rescribentis, ipsius Milevitanae Synodi *Canon VI.*, Carthaginensis anno 418. habitae *Can. VIII.*, Arausicanae II. *Can. XXII.* profligant.

IV. *Forsitan illud* cet. | Nec ultra prudentiae leges, Severus heîc conatus tendit suos. Quid de extremi Judicii tempore Apostoli à J. Christo (*Act. I. v. 7.*), quid à Paulo Thessalonicenses (*Epist. I. Cap. V.*) docti fuissent penitus perspexerat. Verum quod sequiore memoria (quá ad lubidinem, quá ad terrorem, quá ad insaniam) in vulgus creberrimé sparsum est, Veteribus plerisque, & haud aspernandis argumentis permotis, supremum iam iam mundo diem imminere visum fuerat, quos inter, ut ex innumeris á Maluenda (*Lib. I. de Anti-Christo*), & Calmeto (*Dissert. de Anti-Christo* Commentario in *Epist. ad Galatas* praemissa) appellatis, paucos nominem,

minem, Cyprianus (*Epist. LVI. al.* 53., & *LXVIII. al.* 67.), Hilarius (*Lib. contra Auxentium initio*), Basilius (*Epist. LXXI.*), Martinus Turonensis apud Sulpitium (*Dialogo I.*) Ambrosius (*Orat. de Obitu Satyri*), Hesychius Salonitanus Praesul (*Epist. inter Augustinianas CXCVIII. aliis* 78.) Ergo quae plurimum invaluerat opinioni, multóque post latius pervagata est, nihil Praesul Nostras ereptum ivit, quin aliquantulum adstipulatus est, tamquam extra dubitationem positae decretorium calculum non adiecit. Sic Apostolico oraculo *Epist. ad Romanos cap. XI. vers.* 25., & 26. comprehenso, cuius vim eo pacto assequebatur, quo Origenes, Ambrosius, Joannes etiam Chrysostomus, Thomas Aquinas, alii, suus constitit honos, eadem animadversione, qua mox memoratum Hesychium Augustinus (*Epist. CXCIX. al.* 80.) à sententia dimovere conabatur utitur, Virorum in Ecclesia praestantium iudicium probabile arbitratur.

V. *Extremo terrae* | Remotissimo terrarum angulo, quo prorsus verbo David, Isaias, locis a Calmeto (*in Diction. Biblico V. Extremus*) descriptis, eamdem rem indicavere

ERRATA CORRIGITO

Pag.	Not.	lin.	Errata	Corrigito
I.		5.	verisima	verissima
IV.		3.	ſubſtraxiſſem ...	ſubtraxiſſem
V.		2.	Lyconis	Glyconis
VII.		7.	porprii	proprii
IX.		7.	Ne quicquam ..	Nequicquam
5.	(a)	2.	&	cum
16.	(b)	2.	Lorino	Lorinus
18.	(a)	7.	Rom.	Venet.
22.		1.	ſoepe	ſaepé
25.		3.	passa eſt	fecit
25.		12.	ejusmodi	eius
33.	(c)	6.	ſeqq.	ſeqq. legendae
35.		15.	ſoepe	ſaepé
47.		1.	fuit"	fuit",referentia
50.		9.	lex que	lexque
94.		14.	Latinae	Ausoniae
122.		9.	in viis	inviis
167.		27.	sarcina	sarcinam
188.		15.	Antiſtitis ...	Levitarum Antiſtitis
227.		7.	cet. Et	cet., &
231.		4.	var.	variis

Reliqua tute ipse benevolé emmendabis.